Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Gottfried Schwarz

# Godofredi Schwarz Oratio De Zeli Et Charitatis In Persona Theologi Concordia : Ex Officio Dicta Cvm In Academia Hasso-Schavenbvrgica Qvae Rintelii Floret Theologiae Professoris Primarii Ad D. IV. Novembr. MDCCXLIX. Mvnvs Adiret

Rintelii: Typis I.G. Enax, [1750]

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0001
DFG

Fg 1603 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0002
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1025390458/phys_0003
DFG

GODOFREDI SCHWARZ

# ORATIO
# DE ZELI ET CHARITATIS IN PERSONA THEOLOGI CONCORDIA

EX OFFICIO DICTA
CVM
IN ACADEMIA
HASSO-SCHAVENBVRGICA
QVAE
RINTELII
FLORET
THEOLOGIAE PROFESSORIS PRIMARII
*AD D. IV. NOVEMBR. cIↃ IↃcc XLIX.*
MVNVS ADIRET.

*RINTELII,*
TYPIS I. G. ENAX, A. T.

F.a – 1603 1.2.
2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0006
DFG



Dicturus de zeli & charitatis in perſona theologi concordia, rem me difficilem minimeque aggreſſum eſſe benignam, ſentio. Neque enim theologi gravis et cordati nomen ſuſtinere mihi videtur, cui, divina veritas an oſcitantiæ humanæ errores vigeant, religio an numinis irreverentia fines ſuos proferat, tantundem eſt. Quod cogitantes haud pauci, tanto defendendæ veritatis, retundendorum contra errorum, ſunt incenſi ſtudio, ut etiam, in ſacroſancta charitatis officia impegiſſe, inveniantur. Hoſpes in hiſtoria ſit eccleſiaſtica, hoſpes in univerſa vita, et malus actionum humanarum obſervator ac negligens, cui in oculos ſpecimina non incurrerint ζηλου huius ἀζηλου. Quo ſi qui exæſtuant, non poterunt non graviter ferre atque inique, moneri ſe ad modeſtiam, exercendam charitatem, comprimendam iram, temperandam immodicam illam animi ſui vehementiam. Proditionem id genus inſtituti ſapere ominabuntur veritatis: patrocinium

nium interpretabuntur errorum, ac late, noſtra cumprimis ætate, ſerpentis, quæcunque libuerit, ſentiendi publiceque in rebus religionis defendendi, incontinentiæ. Illi vero, cum audiverint, ejus nos charitatis arripuiſſe præſidium, quæ tantum abeſt ut veritatis cauſam prodere, ut neque deſerere eam poſſit; placatiores judices ſeſe nobis præbebunt, ſpero, minus ſaltim iniquos. Sed, his in gratiam reductis, valde verendum nobis eſt, ne, qui charitatem ceteris quibusque virtutibus anteferunt, nolint zelo tam illuſtrem adſcribi locum, in quem illum extulimus: nolint charitatem ab ulla virtute leges accipere, quas ei a zelo accipiendas oſtendimus. Negabunt enim recte charitatem, ſi non imperio zeli ſubjici, at certe cum eo conjungi; quæ, judice apoſtolo Paulo, ne parem quidem virtutem agnoſcat alteram, nedum ſuperiorem (*). Sed, ſi charitas ſine ulla lege vagaretur, quid cæcum inter inſtinctum, quo & animalia bruta aguntur, & officium hominis intereſſet rationalis? hominis chriſtiani? Quorſum totius mundi ſalvator, Chriſtus dominus, cum pluribus verbis diſcipulos ſuos ad mutui amoris ſtudia enixiſſime cohortatus eſſet (**); ardentiſſimas tamen etiam profudiſſet preces, ut, patris ſui cœleſtis munere, ſuſtentarentur in veritate et corroborarentur (***)? Dabunt itaque illud charitatis admiratores ſummi ſeu auctoritati ſervatoris ſui, ſeu dignitati naturæ noſtræ rationalis, ut placidis auribus veritatis cauſam audiant, et in concordiam cum ea redeant non inviti. Si negent, charitatem, quam tantopere prædicant, omnia tolerantem, credentem, ſperantem omniaque ſuſtinentem (*), exuerunt. Extrema ſuperat difficultatis pars, ut, qui zelo non magis tri-

(*) 1 Cor. XIII, 13. (**) Joh. XV, 9. ſeqq. (***) Cap. XVII, 6. ſeqq. (*) 1 Cor. XIII, 7.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0008
DFG

tribuunt quam charitati, nec minus charitati quam zelo nobiscum deferendum esse censuerint, iidem, in constituendo utriusq; virtutis temperamento, rectam nos iniisse rationem, consentiant. Nam, nisi media, quam quaerimus, via usque adeo impedita foret et confragosa, an putamus tot viros, non immites neque inconsideratos, præ studio veri, limites tam cupide migraturos fuisse charitatis? an item alii, homines non indocti iidemque professi veritatis defensores, non sine religionis puræ noxa, charitatem præ se ferre instituissent pervicacius? Sed homines fuerunt: homines cum & ipsi sumus, veniam a candidis rerum aestimatoribus oramus, si quid humani in re tam gravi atque ardua passi fuerimus enodanda. Quam veniam hoc equidem prolixius nos exoraturos confidimus, quo non solum res ipsa minus est explicata ac pervia, sed etiam quo facilius est inconcinnius dicta recognoscere, quam perperam factorum damna resarcire.

Sed, quo impeditior consideratione est res, & quo multo etiam difficilior effectu, hoc magis homini theologo meditanda, & quodam quasi in exemplari assidue contemplanda; ut, quoniam per communem naturæ humanae fragilitatem ab omni vacare errore non potest, magna tamen ei sit voluntas, magna cura, quam minime errandi. Hac mente, hoc consilio atque instituto, ZELI ISTAM ET CHARITATIS IN PERSONA THEOLOGI CONCORDIAE quandam quasi tabulam nobis formavimus. Ac ne, causarum in dicasteriis patronorum ad morem, uni parti nos totos mancipasse, ac tantum victoriam de altera affectasse, videamur, pari diligentia ac fide, proponere nobis ob oculos voluimus, quæ *primo* res theologum ad zelum accendere possint ac debeant; quae *item* ad colendam exercendamque charitatem impellere:

*deni-*

*denique*, quàrum legum beneficio probata pariter atque adamata utraque ei virtus in concordiam adducenda.

Te vero, æterne ac misericors deus, qui fons es veritatis et omnis charitatis inexhaustus, te supplices ac cernui precamur, velis mentem, orationem omniaque nostra studia Spiritus tui sancti numine regere; vt veriſſima illa doctrina, quam internuntio filio tuo accepimus, ita incendamur, ut nulla nos discrimina ab ea dimoveant unquam: ita afficiamur, ut moribus eam etiam in universo vitæ hujus cursu exprimere contendamus: donec, corpore & animo tecum conjuncti, pleniſſimo veritatis tuæ lumine, ac toto charitatis tuæ igne, reficiamur in æternum.

*P. I.* Videre verum, tum virtutem colere, fortiſſima sine dubio præsidia duo illa sunt animi tranquilli & vere beati: &, si homines partis hujus suæ immortalis præstantiam recte æstimare possent ac dignitatem, si non vitæ istius caducæ & fluxæ cupiditatibus fascinari sese paterentur, nihil veritate eis foret amabilius, nihil virtute dulcius. Optandum vero illud magis est, quam, in tanta rerum humanarum confusione, sperandum. Non enim tantum erroribus decipiuntur miseri, sed & decipi gaudent; hisque suis gaudiis inflammati, inimicitias cum veritate suscipiunt, odio in virtutem armantur. Interest tamen reipublicæ, ac, licet hujus non interesset, boni certe cujusque viri officium, idque a deo sibi demandatum, foret, aliorum quoque saluti consulere, operamque pro viribus dare, ut & errores extorqueantur misere deceptis, & falsa bonorum specie illusis sua turbentur gaudia. Studium ardentiſſimum humano generi divinitus datorum virorum, impediendi, ne homines a

veræ

veræ ſalutis ſuæ præſidiis depellantur, zelus audit. Duplex itaque eſt res, in qua zelum occupari convenit. Eſt enim illius, tam veritatem, contra errorum vim, ſartam ac tectam tueri, quam virtutem ab inſultibus vitiorum defendere incolumemque præſtare. Quare, audiendi non ſunt, qui, ubi doctores ingenuos vident defendendæ veritatis zelo, pullulantes contra errores, incendi, graviter illud ferunt atque moleſte: qui, ut quisque boni doctoris munere defungi cupit, ita eum in vna vitiorum filice eruncanda intentum eſſe, ita eum ſuam cuique quidvis promiſcue ſentiendi libertatem integram relinquere, vellent. Non recte illi certe, ac monſtri aliquid in ſinu foventes. Neglecta enim ac profligata veritate, actiones hominum aut nihil cum ea habent commune, aut cum præſcripto illius pugnant. At, cum præſcripto veritatis pugnantes actiones, manifeſta peccata ſunt, nihil cum veritate commune habentes, vanæ ſuperſtitionis deliria; quæ adeo nihil ad provehendam hominis ſalutem faciunt, ut ſæpe etiam de veræ felicitatis eum dejiciant gradu. Fac, in hominum actionibus recte ſe habeant cetera, tamen, niſi ex vera fide in Chriſtum, per virtutem Spiritus ſancti, proficiſcantur, probari a theologo chriſtiano nondum poſſunt: itaque ut probentur, & deo gratæ eſſe doceantur, veritate nitantur, oportet, quæ nos de beneficiis Chriſti certiores facit, & omnes in eo ſpes noſtras jubet collocare. Id ſi quis infitiatur, non ille doctores, veritatis chriſtianæ patrocinium fortiter ſuſcipientes, reprehendat: ponat larvam, faciem ſuam ſpectandam exhibeat, ipſamque religionem chriſtianam, cujus caput fides in Chriſtum eſt, hoſtis impugnet apertus. Nolim tamen mores probare doctorum illorum, qui in alterum erroris tramitem transverſi aguntur, ac dogmaticam ſanctiſſimæ religionis

noſtræ

noſtræ partem ita unice obſervant, ut nulla aut exigua vitæ practicæ cura tangantur. Qui partem dogmaticam juxta ac practicam ſibi commendatam habuerit, nec magis adverſus errores fidei ſteterit, quam contra morum corruptelas & hominum vitia, is demum boni doctoris laude celebrabitur. Sed cum zelum, qui publica vitiorum monſtra perſequitur, damnet nemo; ut ipſi etam vitioſi, niſi omnem ejuraſſent pudorem, apertorum peccatorum teſtentur odium: de zelo autem, qui in convellendis intellectus erroribus eſt occupatus, variæ ſpargantur ſententiæ, maximæ, de ferendis impugnandisque erroribus circa fidem chriſtianam, controverſiæ moveantur, res ipſa nos monere videtur, ut hujus rationem habeamus præcipuam.

Pone errores, ordinandæ regendæque vitæ moralis principia; nonne, quoties axiomatis ſui exercendi occaſio falſæ opinionis errore ductis dabitur, ſine vlla dubitatione dictamen illius ſequentur, peccabunt? Pone errorem, quo quis tenetur, late in vitæ quotidianæ patere vſu: pone illum ad plures transfundi; nonne peccata peccatis cumulabit, idemque ut alii faciant, falſa eos doctrina ſua, falſisque incitabit ſuggeſtionibus? Si nemo ſit, qui errantes in viam reducat, ſuisque cupiditatibus ſecure litantes interpellet, peccatis et ſceleribus ſuis tantum abeſt ut ingemiſcant unquam, ut etiam de patratis ſibi graviſuri ſint, et apud alios gloriaturi. Quæ enim res recte factorum conſcientiam eis eripiat? quid laudis præmia eos ab aliis repetere impediat? quin potius exciderent tranquillitate illa animi & lætitia, ſi, excuſſis errorum vinculis, non ipſo excuſſo errore, meliora ſectarentur. Si publica auctoritate errores contingat donari, non poſſunt peccata non in numerum abire infinitum: ſi altiores in animis homi-

hominum radices agant, nulla objurgatio placide ab eis audietur, nullus convictioni locus dabitur. Majorum, quid enim? auctoritatem culpæ suæ prætexent; quorum vestigia legere pulchrum vulgo ducimus: ab eorum moribus desciscere, inveteratas sententias mutare, si minus ignominiosum, at certe periculi plenum. Verum non amor tantum, quem patribus nostris debemus, & reverentia errantes in errore suo continere solet; sed quod illud etiam ad honorem et existimationis, si quam apud alios collegerunt, defensionem spectare arbitrantur. An enim censores ipsi sui, sine ignominiæ macula, evadant? an perperam et inique hactenus abs se dicta gestaque faciles retractent? an leges ab hominibus accipiant, qui potissimum nec dignitate nec auctoritate secum sunt comparandi? Negat hinc Christus, ullum vatem acceptum esse in sua patria (*). Cum enim divinæ visum esset sapientiæ, legatos suos ex infima plerumque plebe adsciscere, qui ejus mandata ad gentis principes et interpretes legis deferrent, fieri non potuit, quin alto ab his supercilio despicerentur; homines quippe indocti, plebeji & viles. Non est deinde, quod, vitæ practicæ lapsus & scelera emendatum aliquando iri in melius, omnem penitus abjiciamus spem; dum veritatem homines non detrectaverint, nec, nisi reclamante meliore coscientia, mala patraverint. Veritate contra hæc profligata, suffectisque in vicem illius erroribus, quasi totidem vivendi juribus & privilegiis, nulla superat medicina, cujus ope ad sanitatem reducantur in pejus semper ruentes, neque tamen sua mala & vulnera sentientes. Quid, quod scelera, quæ in usu vitæ committuntur, nisi in regulam vitae degenerent, cum ipsis occidant sceleratis: at falsa



(*) Lucæ IV, 24.

vivendi præcepta erroresque intellectus damnabiles, etiam post funera vigeant auctorum suorum, seramque posteritatem adducere in criminis partem soleant. Excesserat Jeroboamus rex, is qui, falsis sacris institutis, populum Israeliticum a vero dei cultu sequendo retraxerat: at non desierunt, longis post mortem illius annis, grassari per scelus, quod eos docuerat, posteri (*). O! si bonorum morum et sanae mentis corruptelas istas, quibus remotissima etiam in vitium trahitur posteritas, secreta æstimatione pensarent, & intentatas corruptoribus gravissimas pœnas (**) spectarent, qui exitiales errores ore in vulgus spargunt, ac longe lateque propagant scribendo; quanta solicitudine ad rem aggrederentur, quanta diligentia & cura res & verba sua ad trutinam prius revocarent exactiorem, quam temere effutirent inque lucem emitterent, quod non præsentis tantum ætatis aures læsurum sit, sed seræ etiam posteritatis animos contemeraturum? At quotusquisque in sapientem hanc curam nostris istis incumbit temporibus? quis non potius cupiditate empæctas omnes, qui priores fuerunt, dicendi scribendique vincere flagrat cupiditate? Quare, si unquam alias laude sua non fuit defraudandus zelus virorum, pro veritate et honestate morum solicite excubantium, his nostris temporibus non tantum eximiam commendationem meretur, sed maxime etiam necessarius est judicandus.

Commendabitur autem ex merito, si quidem præcipue pro veritatum moralium vigilaverit castitate, perversisque cogitandi, hac parte, et agendi regulis obicem sese posuerit. Conscleratis namque moribus, quodnam barbaras inter gentes et honestatis studiosas nationes relin-

(*) 2 Reg. X, 29. 31. (**) Matth. XVIII, 7.

relinquetur discrimen? Sed fuerunt in gentibus etiam, salvificæ veritatis lumine non recreatis, qui honestati vitæque studerent innocentiæ; nullo tamen, post corporis sui funera, redundante in eos præmio. Solis haec, post mortem, beatitas sinceris Christi cultoribus priva est ac propria. Quare, ut sua homines opera, exuta mortalitate, in alteram quoque vitam comitentur, ac deum illic remuneratorem inveniant benignissimum, non minore studio sanctissima religionis nostrae mysteria illibata conservanda sunt theologo, quin curae cordique habenda homini cuivis christiano. His enim quasi fundamentis suffossis atque eversis, quid inter religionem christianam & religionem distabit naturalem? quid opus erat Christo? quæ nobis, qui in illum credimus, eumque amissæ salutis nostræ reparatorem colimus, & unicum inter deum et homines mediatorem, præ aliis, ab agnitione & salutari ejus cultu alienis, propria erit spes? quod singulare solatium? Sed, licet primaria salvificæ fidei nostræ capita, non magis theologo, quam homini cuivis sunt defendenda christiano, theologum tamen ad ceteras quoque partes intendere animum, easque omnes integras servare convenit & inviolatas. Hæc enim facultas, hæc cura & solicitudo, theologum a reliquo cœtu distinguit christiano: utque in eam ingredi totis velit viribus, monere eum profecto debet nexus ille, qui inter sacræ professionis nostræ capita intercedit, arctissimus. Analogiam fidei suis in scholis vocant theologi, vocabulo ab apostolo Paulo sumto (*); cujus ea est vis, ut vulnerato uno articulo aut rescisso, malum ad reliquas magis magisque sese diffundat partes, ac totum corpus vel in discrimen vocetur, vel certe deformetur. Itaque

 vigeat

(*) Rom. XII, 6.

vigeat in regno veritatum noſtrarum ſuprema ea lex, qua omnes bene ordinatæ respublicæ incolumes ſuſtentantur. Scilicet, ſunt in republica diverſorum ordinum diverſæque conditionis cives & hoſpites, quorum alii aliis plus minusve ad publicam ſalutem provehendam conferunt; neminem tamen in ea lædere, nedum jugulare, eſt fas. Nam ſi inferiores facultatem in republica violandi tribuerimus maleferiatis, ſublimioris quoque fortunae et dignitatis viris ſuam eripuerimus ſecuritatem, ipſiusque majeſtatis ſupremæ prodiderimus ſanctitatem. Sic etiam, ut maxime veritas aliqua parum in receſſu videatur habere, ipſum tamen nomen veritatis ad patrocinium ejus nos impellat ſuſcipiendum; ne, conceſſa unam particulam convellendi libertate, libertas vertatur in licentiam; qua ingenii oſtentatores vani & homines turbidi incitentur, ad laceſſendum veritates quoque graviores, excellentia, utilitate & fœcunditate ſua latiſſime patentes.

Si tamen veritates aliæ aliis ſunt ſanctiores & prægnantiores: ſi nec uno eodemque ab omnibus ſolicitantur impugnanturque animo & inſtituto, ut zelus ſuos habeat gradus, quos non temere theologo, ſapienti omniaque circumſpicienti, migrare fas ſit, efficitur. Qua quidem in re cum Chriſtus ipſe fidis omnibus doctrinæ ſuæ præluxerit propagatoribus, dubitarene adhuc theologus potuerit chriſtianus, quo minus actiones omnes ſuas ejus ad exemplum conformet? Lenius Salvator certe noſter Thomæ emendat reſurrectionem ſuam credendi moroſitatem (*); nondum enim homo cautus viderat, quod maxime, ad faciendam fidem, ſuis oculis uſurpaſſe conveniebat, ingens inuſitatæ rei ſpectaculum atque

(*) Joh. XX, 27. 29.

que admirandum. Gravius contra castigat credere dubitantium pervicaciam, tot apparitionibus, mutuis colloquiis et convictibus, comprobatam veritatem, in toto discipulorum suorum, noviſſime congregatorum, choro (*). Moderatius fert Petri jam confidentiam, per aquas ad se venire gestientis: jam, cum submergi videretur, sua in potentia diffidentiam (**). Verum durius eundem increpat oscitantem, inque re primaria victas dare manus recusantem. *Abi pone me, Satana*, inquit: *impedimento mihi es; quippe qui non divina, sed humana, sapias* (***). Estque operæ pretium notasse, pluries ac durius, vel ipso Juda Ischariota, reprehensum a Christo fuisse Petrum apostolum; quod hic sui emendandi spem adferret, ille nullam. Atque ut plurima alia temperati, pro veritate, zeli exempla, quae Christus nobis dominus reliquit, silentio prætereamus; quam amice Nicodemum perstringit, non malo animo ad cognoscendum tardum? *Tu Israelitarum doctor es*, inquit, *& hæc nescis* (*)? Idem vero quam acerbas suppliciorum pœnas Pharisæis & Scribis irrogat, nequiter errantibus, & populi simplicitate ad avaritiam, ambitionem & luxuriam abutentibus? *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, simulatores! væ vobis duces cæci! o stulti et cæci!* iterum iterumque ingeminans (**). Nec certe perpetuam lenitatem et moderationem affectatam publicorum probabit doctorum, quisquis mores istos ipsorum cum moribus vatum in gente Judaica, Esaiae prophetae temporibus, contulerit, divinarum tamen literarum auctoritate movetur. Quibusnam vero scriptor sacer nobis illos coloribus depingit? *Speculatores ejus omnes cæci*, inquit, *sunt, omnes rerum sunt igna-*

(*) Marc. 16, 14. (**) Matth. XIV, 28.-31. (***) Matth. XVI, 23. (*) Joh. III, 10. (**) Matth. XXIII, 13. sqq.

*ignari: canes muti, latrare non possunt, torpent, tacent, somno indulgent* (*). Quæ omnia eo unice a nobis differuntur, ut, germanum pro defendenda veritate ejusque dignitate vindicanda zelum non tantum non improbandum per se, sed etiam in summis fidelis doctoris virtutibus reponendum esse, doceamus. Non sane vult Paulus apostolus doctorem ecclesiæ audacem esse atque iracundum: vult tamen eundem esse *tenacem indubitati, qui secundum doctrinam est, sermonis: ut potens sit etiam exhortari per doctrinam suam, et contradicentes refellere* (**).

*P. II.* Est vero zelus studium ardentissimum, impediendi, ne homines a certissimis animi tranquilli & vere beati præsidiis, veritatis & virtutis studio, depellantur. Temperatus itaque affectus, &, si sapientia regatur, temperata zelus virtus est, ex odio & amore, indignatione & charitate in alios, coalescens: tametsi a priore potissimum parte, odio atque indignatione, vulgo quidem jam denominetur. Quod enim qui zelo ardent, inimicitias cum erroribus & vitiis, tanquam cum capitalibus felicitatis humanæ hostibus exercent, pugnas ineunt, odium illud zelo inesse arguit & indignationem: quod defendendæ felicitatis humanæ causa omnem illum laborem aggrediuntur inque discrimen non raro sese conjiciunt præsentissimum, amoris illud & charitatis in alios officium est ducendum, ac pignus jucundissimum. Aufer sane zelum, qua ardet, urit, destruit, a charitate, errantibus etiam debita: facilitas inepta charitas sine zelo erit & prava conniventia, serius an celerius, in magnum malum evasura. Aufer charitatem a zelo, quæ odium temperet, indignationem mitiget, conatus & omnia studia defendendi veri desiderio æstuantium dirigat: facile

(*) Es. LVI, 10. (**) Tit. I, 7. - - 9.

facile vero zelus sine charitate degenerabit in immodestiam, indignitatem, contumeliam, in sævos tumultus & feram tyrannidem. Odio enim tantummodo suo atque indignationi relictus zelus, quanam veluti mole coercebitur, quo minus violenti more fluminis latius, quam par est, evagetur pluraque vastet quam fœcundet? At charitate temperatus plus damni inferre, quam adferre commodi, cavebit. Erumpet, retrocedet: exardescet, placabitur: destruet, ædificabit: vulnera infliget, curabit, prout salus illud flagitaverit vel publica plurimorum, vel privata aliquorum. Si vel plus justo, vel minus justo, prudentiæ fuerit effeciſſe, quoniam id, quod justum est, in re gravi atque ardua intelligere difficile est; charitas, quæ zelo temperatur, zelus, qui charitate regitur, quod perspici ex primis causis nequit medium, si non acu in exercendo tangent, at quam minime ab eo aberrabunt. Sive veritatis, sive virtutis, causam zelus agat, quod si errantes suæ salutis amore incensum viderint, si felicitatis suæ provehendæ gratia ardentem senserint peccantes, ad mutui amoris certamina provocabuntur; quo fiet, ut placidioribus auribus monitores audiant, profectis ab optimo animo doctrinis faciliores obtemperent, victi denique victori tibi herbam porrigant, ultro lubentesque in sententiam tuam concedant. Finge, nolle eos concedere, nolle se fateri victos: at secum reputantes, esse te sententiae alterius, hominem veri perspicacem, observantissimum æqui, virtutibus probatum & moribus amabilissimis: tum suæ salutis cupidum, intensissimo in eos amore flagrantem; paratum vel tuo dispendio illorum servire commodis; fallor, an sua eis sententia suspecta evadet, timidius eam defendent, minus animose aliis eam obtrudent. Quid, homo cum et

ipse

ipse sis, qui non minus, atque alii, errare potest ac labi: si non zelo tantum indulgeas; solet enim impedire animum ira, ne liquidam cernat veritatem: verum, si charitatem quoque consulas ejusque instinctus placide audias & benigne, accidere certe potest, ut adeo non in errore versari, quibuscum dimicationem suscepisti, sentias, ut, ipsum potius te turpiter hactenus hallucinatum esse, agnoscas, errorem tuum corrigas. Sed charitatis, quae zelum moderatur, praemium illud est pulcherrimum; quod quidem a zelo, sine charitate furente, frustra exspectaveris. Nec vero quisquam in re altioris indaginis praemii hujus consequendi cupiditatem abjiciet, eaque abjecta charitatem exuet, qui novit, quam facile homines opinionibus nostris decipiamur. Quod si non fuerit, cur a sententia discedamus priore, aut saltim mitius de ejus gravitate existimemus & necessitate; conscii tamen nobis studii castissimi, quod, in examinanda veritate eaque in apricum proferenda, consumsimus, magis etiam in ea confirmabimur, magisque intemerato propugnandae illius zelo inflammabimur. Nec zeli itaque supra charitatem sectatoribus sua, ex studio charitatis, deesse potest merces.

Quaeso deinde ab omnibus, qui theologiae nomen dederunt & theologi audiunt, quorsum omnis ipsorum comparata est veri pervestigatio? quorsum collineant labores, quibus se, in perspiciendis rerum divinarum causis, frangunt? Si ut verus dei cultus inter homines sibi constet, & a corruptelis perperam de rebus divinis sentientium vindicetur? Laudo conatus egregios: at idem laudare nequeo persuasionem inanem ac longe falsissimam, posse illic verum dei cultum sibi constare, ubi, inter pugnas, quae pro divini cultus integritate comittuntur,

tuntur, præcipua illius pars proculcatur, charitas conteritur. *Nam si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*). Sit fides in Christum unicum nostræ cum deo conjunctionis, ex parte quidem nostra, medium: sit justificatio per unam & solam fidem in Christum stantis cadentisque ecclesiæ criterium; fidem tamen illam in regenitis & justificatis, quos quidem mors in articulo suæ cum deo reconciliationis non opprimit, esse debere per charitatem efficacem, certum est. *In Christo Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium: sed fides, per charitatem operans* (**). Demus, boni theologi esse, pari studio atque industria docere fidem, charitatem & spem. Ergo, officio suo rite defunctum, nemo dixerit, si ita fidei defendendæ alendæque spei zelo distinebitur, ut sacratissima charitatis jura postponat & officia. Hujusne theologus christianus immemor vivat virtutis, ad quam, tanquam ad lapidem lydium, examinari Christus dominus voluit discipulos suos & sectatores germanos? *In eo*, inquit, *cognoscent omnes, vos meos esse discipulos, si mutuo vos amore prosequamini* (*). Nisi forte ad inimicos, e quorum numero dissentientes a nobis sunt, noluit Christus præcepti sui verba rapi? Is, qui & ipse pro inimicis suis, tenerrimo erga eos ardens amore, cum maxime ab illis vexaretur, oravit (**)? &, ad diligendum inimicos nostros, nos passim admonuit atque incitavit (***)? absurditatem dogmatis Pharisaici, quod, odio prosequendos

(*) 1 Cor. XIII, 2. (**) Gal. V, 6. (*) Joh. XIII, 35. (**) Luc. XXIII, 34. (***) Matth. V, 44. seq.

quendos esse inimicos, sanxerat, coarguit atque emendavit (*)? Ac nos, qui theologi dici volumus euangelico-lutherani, itane aureorum catecheseos nostræ obliviſci nos decet verborum, cum vel maxime in adversariis distinemur impugnandis? *Debemus deum timere & diligere, ne proximum falsis mendaciis involvamus, prodamus, traducamus, aut infamia aliqua afficiamus: sed illum excusemus, bene de eo sentiamus & loquamur, & omnia in meliorem partem accipiamus & interpretemur* (**). Transcribenda enim fuerunt, quæ, quia pueris sunt tradita, infra dignitatem adultæ ætatis judicamus, vel ipsa certe familiaritate contrivimus. Qua tamen nihil a B. Luthero nostro his est dictum verbis, quod idem infinitis codicis sacri testimoniis comprobari haud possit, viderint, qui divinarum literarum auctoritatem tuentur, quantum præscripto earum deferant moveanturque præceptis, charitatem pæne omnem inter disputationes mutuas convellentes?

Si in hoc elaboramus, theologiæ christianæ vacantes, ut & ipsi beati tam in hac, quam in altera, evadamus vita, & plures alios in partem trahamus beatitatis nostræ: si & ipsum veri dei cultum hac mente illibatum conservare studemus & integrum; neque tamen una illa voluptas, qua veritatis cognitio studiosos sui perfundit, in hac vita nos vere beatos reddit, aut reddere in altera potest, itane deesse nobis possumus? itane firmiorum beatitudinis nostræ præsidiorum curam deponere? Dicam ex animi sententia, nullus dubitans, quin plures eandem, cum sese diligentius excussere, in sinu suo & solicitudinem

(*) Matth. V, 43. 44. (**) Conf. *Catechesin majorem* ex edit. *Concordiæ Rechenbergianæ* pag. 474. *Ita jam hujus præcepti summam* cet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0022
DFG

citudinem invenerint & requietem. Quoties ego, quæ de numinis ſummi exiſtentia & providentia, & pluribus aliis iſtius generis capitibus, graviter docent theologi, philoſophi ſubtiliſſime diſputant, recognoſco, et totam argumentorum catenam necto, ſolertiſſime ſingulas examinando partes, earumque ordinem contemplando & cohæſionem pulcherrimam; gaudeo. Sed illud gaudium neſcio cujus alterius eſt indolis, non ſimile illi, neque ulla parte cum eo conferendum, quo frui, quove exſatiari, ſolet animus, cum nullius in ſummi numinis majeſtatem, admiſſæ per ſcelus, culpæ ſibi eſt conſcius. Et gaudia mea, ex una veri perſpicientia percepta, ſine recte factorum conſcientia, celeriter evaneſcunt, inque triſtitiam abeunt minus jucundam: at gaudia, quibus ex recte factorum conſcientia cumulor, veriſſima ſemper ſunt et ſolidiſſima. Si plurium aliorum experientiæ congrua loquimur, nec, niſi conſentanea felicitati, ad quam a deo immortali conditi ſumus; certe enim, non ut opera tantum dei cognoſcamus, ſed etiam ut omnibus vitæ noſtræ actionibus cognitum ex operibus celebremus, ſumus creati: non equidem falſa nos perſuaſione duci putamus. Quæ cum ita ſint, quis ad perfectam, quæ quidem in hac vita hominibus propoſita eſt, adſpirans felicitatem, temere violare charitatis, quam aliis debet, ſuſtinuerit jura et leges? ejus, inquam, leges virtutis, qua convulſa, ſinceriſſimis et, quoniam latiſſime omnium patet, quam plurimis ei carendum eſt voluptatibus; absque quibus eſſet, nulla conſiſtere felicitas poſſet. Intendentibus autem nobis in alterius vitæ beatitudinem animum atque oculos, formamque et ordinem extremi illius judicii, in quo omnes nos comparere neceſſe eſt, legentibus & penſitantibus, quomodo excidere

nihilique videri possunt virtutes illæ, quarum futurus ipse judex summus, se præcipuam habiturum esse rationem, edixit? Benedictos ille sane patris sui in partem beatitudinis suæ æternæ conciebit; hoc ipso testatus, cum ex lege maledictio, ex euangelio benedictio, in nos deriveretur, eos esse benedictos, qui in nomen suum crediderunt: hæreditario sane jure eis possidendum tradet patris sui regnum, quod eis a primordio mundi paratum fuit; hoc ipso significans, quod ex hæreditate nobis accedit, non illud ex operum nobis deberi merito: sed idem, justitiæ suæ coram universo orbe declaraturus innocentiam, utque ostendat, quinam re vera fuerint e numero fidelium suorum, qui omnem spem & fiduciam in ipso collocárunt, opera se allegaturum, professus est (*). Cujusnam vero generis opera? opera charitatis, opera humanitatis, opera misericordiæ. Ex quo, nihil operibus charitatis erga alios deo gratius, nihil in altera vita commendabilius, nihil coram tribunali supremo constitutis nobis futurum esse honorificentius, abunde colligere licet. Et certe, *qui non diligit fratrem suum, quem videt; deum, quem non videt, quomodo potest diligere* (**)?

Sed, ne sit molestum audire, quid charitatis patroni in ejus laudem adferant præterea. Æquum enim est, ut, audita zeli causa, omnem quoque cognoscamus causam charitatis; temperamentum sine injuria alterutrius inventuri virtutis. Persuasissimum illi, in his orbis christiani de fide dissidiis, sibi esse, ajunt, facile de controversis capitibus compluribus posteros inter, qui præteritorum temporum pugnas illas jam non nisi eminus spectant, conventurum, nisi tam acerbe inter se conflixissent majores, penitusque infixis mutuo anathema-

(*) Matth. XXV, 34. seqq. (**) 1 Joh. IV, 20.

matiſmorum ſpiculis, effeciſſent, quo minus percuſſa illa eccleſiæ vulnera in cicatricem unquam coitura, videantur; ſed ſanie et cruore perpetim manatura. Nobis tamen committendum non eſſe, ut detrimenti aliquid publica ſalus eccleſiæ, a ſuperſtitione, piis fraudibus et lucri privati ſtudio repurgatæ, noſtra quidem culpa, pergat accipere. Enimvero impellere nos debere, ad tam præclaram mentem induendam, calamitatum & malorum, quæ adhuc perſentiſcimus, recordationem triſtiſſimam. Impellere debere ſuſpiria et lacrimas graviſſimorum virorum, quos pietas ſua non magis, quam integerrimus veritatis zelus, in ſublimi collocavit, & collocat hodie; quorum nos non, quod ille ait, negligentiam, ſed acumen, ſed ſolertiam, ſed prudentiam, ſed fidem, ſed candorem & modeſtiam imitari potius convenit, quam aliorum inconſideratam diligentiam pugnandique ardorem immoderatum. Impellere debere indignationem, quam forte non immeriti in nos convertimus, principum virorum; quos cum nutricios prius haberemus & defenſores ſtrenuos, ita perpetuis noſtris ſunt offenſi turbis & rixis perpetuis, ut omnis jam cauſa noſtra eis videatur ſuſpecta, ingrata ſaltim ſit atque moleſta. Impellere debere politicæ illius Italicæ, ad omnia noſtra ſtudia intentæ, artes & ſtrophas; quibus ut, per diſſenſiones noſtras, proficiat, quemadmodum profecit, blandiendo impetret & concedendo, quod ſæviendo non potuit, piaculum nobis ſit. Remittit illa a priſtina ſua magis magisque acerbitate, mollius mentem ſuam & plauſibilius explicat, omnemque ſcenam ita apparat, ut poſtliminio irretiat auſpicato elapſos. Impellere debere ſævas undique tempeſtates, a ceritis hominibus ſacræ civitati ingruentes; qui male defenſæ veritati

ritati videri volunt venire opitulatum, illud autem omnibus ſuis ſtudiis, laboribus et moliminibus agunt, ut univerſam a fundamentis proruant atque evertant religionem. Atque hos contra, ſive novam Babelem exſtructum eant, ſive veteris munitiones conſolidatum, quo minus in ſocietatem coeamus, conjunctisque depugnemus viribus, quid vetat? Vna nobis eſt teſſera, eadem arma, par animus pugnandi, cauſæque bonitatem, quocunque res ſteterit impendio, aſſerendi. In reliquis, quæ nos diſtrahunt, quæque ſtrictius illud familiaritatis & fraternæ conſuetudinis vinculum laxant, ne ſimus tardiores gregariorum militum cohortibus, qui, etſi non amictu ſolum & caſtrorum poſitu, ſed ſæpe etiam gente, lingua, moribus & conſuetudinibus inter ſe differunt, ſub unis tamen ſignis concordes pugnare, communium hoſtium inſultus & impetum pari ardore frangere, aut ſuſtinere, de victoria ex æquo ſibi gratulari, calamitatem acceptam pariter dolere, non dubitant. Sic charitati, ratiocinari dicam, an fabulari, omnesque interiores ſenſus ſui latebras familiariter detegere, eſt mos. Verum, ne, cum offenſione zeli, aures plus paulo faciles præbeamus eloquenti, hocque ſemper dicaciori, quo longius placide auditur, orationis utriusque partis hic modus eſto.

*P. III.* Plura ſane ex animi, tam zelotarum quam defenſorum charitatis, adferri potuiſſent ſententia. At, topica potius cum ſint, quam ut firmiore quodam niterentur tibicine: cum tantum ad iniquam victoriam reportandam faciant, proterendam quippe, ſi penes zelum immoderatum foret, charitatem, prodendum, ſi per cæcam charitatem ſtaret, zelum, miſſa in praeſens lubenter facimus. Abſit enim virtutis unius pudicitiam alteri

alteri ſubſternamus: abſit ampliſſimum, quantus quantus eſt, virtutum chorum inæqualium civium ſocietatem eſſe fingamus; in qua aliæ in alias imperium non tantum exerceant, ſed etiam poteſtate ſua ad injuriam abutantur reliquarum, ac vel minimam extorrem eſſe jubeant concivem, aut e medio tollant, quæ immortalis eſt. Quamvis enim latius in exercendo nonnullæ pateant, nonnullæ copioſiore veluti pulcherrimæ ſobolis comitatu incedant illuſtres, ſpectantiumque in ſe oculos convertant magis; una tamen omnium eſt dignitas, eadem ſingularum majeſtas, ut, qui unam offenderit, reus in omnes ſit, & communis ceterarum hoſtis. In tanta virtutum, quotquot nominari poſſunt ac cogitari, conſenſione, quisquis certamen, quod inter eas intercedere ſibi videtur, non componit, ſed fovet, quisquis alteram convellit, quantum patrocinatur alteri, injurius in utramque eſt atque impius. Virtus germanus eſt zelus, virtus quoque charitas: nulla inter utramque pugna revera; ſi enim eſſet, deſineret alterutra eſſe virtus, aut utraque. Itaque, ut neutrius dignitatem violemus ac majeſtatem, utque in nullam earum ſimus impii, pii in alteram videri volentes, inveſtigandæ nobis ſunt leges, quas ipſæ ſequuntur non invitæ, æternam hoc ipſo concordiam alentes, quod ex legum vivant præſcripto. Difficile quidem eſt homini, difficile mortali, cujus animus ſæpe, in dubio poſitus, huc illuc impellitur, inveſtigare ac penitus cognoſcere æterni conſilii leges atque receſſus. Si tamen ipſa movere difficultas cupidos cognoſcendi animos ſolet, et ad audendum perque ardua enitendum incendere, periculum certe feciſſe juvabit. Adde, quod velle virtutum leges ſcire, ac magis magisque ſcientem proficere, proficientem ad dictamen illarum,

larum, tanquam ad censuram perpetuam, actiones suas dirigere, est dignum reputari, qui in concilium illarum sanctius admittaris; in quo audias, quod vulgo audisse non datur profano. Quare, quodcunque erit, secundum quas leges zelus & charitas, sicubi collidi invicem videbuntur, in amicam concordiam, homini præcipue theologo, sint adducendæ, dispiciamus.

Principio quidem suprema omnium lex constituenda videtur, ut charitati studeamus, charitatem sancte colamus, a charitate ne latum unguem discedamus. Si tamen, disseminatis in vulgus exitialibus erroribus, obtrusis & confirmatis damnabilibus dogmatibus, æterna aliorum salus in discrimen vocaretur, ipsa illa, quam toti generi humano debemus, charitas, in salute aliorum provehenda occupata cum primis, vehementius nos moveat, ad dimicationem cum erroribus subeundam, & salvificam veritatem totis viribus propugnandam, ad armandum nos zelo. Quæ si placet lex, manifestum profecto est, in omnibus illis rebus, quæ in æternæ salutis nostræ negotium non influunt, vel, ut theologorum verbis utar, quæ, salva salute æterna, non tantum negare, sed simpliciter etiam licet ignorare, zelo, quo de agimus, nullas esse partes omnino. Quare exsulent a prætura nostra, quæ, in diversas abeuntes sententias, philosophi disputant, philologi disceptant, de quibus jureconsulti & medicorum filii controversantur, grammatici altercantur, & quæcunque, in hujus vitæ felicitate procuranda, plures alii, recte an vitiose, moliuntur. Dum falcem in nostram messem immittere caveant, suis eos judicibus permittamus, nos quidem charitate eos feramus, res nostras sedulo agamus: aut, si commodum fuerit repugnare, quod artis, quam adversarius

versarius convellit, sis instructus scientia, tuum tamen potius ad tribunal hominem ut cogas, legibus tuis damnes, quam forum ipse ejus sequaris, si vir bonus & theologus gravis audias, nunquam commiseris. Si commiseris, vide, ne idem tibi accidat, quod bono illi inter Latinos Patri; qui, cum puer didicisset, terræ superficiem universæ immensis infra se innatare aquis, ausus est antipodes et antipodum defensores concluſiunculis nescio quibus refellere theologicis. Id operæ pretium apud posteros, meliora edoctos, consecutus, ut sibilis atque cachinnis explodatur, quoties nominatur. Vide, ne omnium rerum ambitum, & causas omnes illarum, ad liquidum tibi perspectas, autumans, in idem incurras vitium, cujus æternum rea agetur, infallibilitatis vanissimo splendore superbiens, illa curia; quæ cum, terram circa solem moveri, ex astronomi maximi observationibus, applaudens primum arripuisset, paulo post, invidorum theologorum suorum consiliis inducta, sententiam damnavit, atque iterum proponendam, non dogmatice defendendam, permisit, permissura facile physici dogmatis defensionem, nisi toties mutatæ sententiæ eam puderet. Quid, per deum immortalem! spem meliorum temporum & defendisse & oppugnasse conveniebat; si nec solatium & isti nobis adtulerunt a spe derelictis, neque ab illis, inter tot turbas & internecinas ecclesiæ scissiones, spes liberaliter promissa tam fuit asserta, quam profligata? Quid, notabilem Iudæorum conversionem asseruisse & rejecisse, referebat; si tantum animi magnæ orbis christiani partis ab amore mutuo sunt aversi? Quorsum tot novæ loquendi formæ, tot Schiboleth, spectabant, nisi ad jugulandos Ephraimitas, hostes quidem in præsens illos, ceterum fratres,

per imprudentiam lapsos, non per impotentiam victoriæ tanta strage mulctandos. Gaudia enim Gileaditarum non poterant non in universi Israelis degenerare luctum. Sed desino plura, quæ nullis unquam lacrimarum rivis deploraverimus; ubi, vel simultates privatæ, vel controversiæ exoticæ, in theologorum scholas invectæ systematibusque infricatæ, factæ sunt acerrimarum materia pugnarum & vulnerum insanabilium. Non ita theologos comparatos esse ingenuos decet. Charitatem illi in rebus, quæ ad fidei nostræ salutaris fundamentum, & necessariam cum eo cohæsionem, haud faciunt, supra zelum, probant atque amplexantur. Cum enim æterna hominum salus, pro qua unice vigilandum ipsis est, minime in his periclitetur dissensionibus, nihil sane adesse vident, cur zelo potius incendantur, quam charitate illucescant eximia.

In dijudicando autem fidei fundamento, ea utendum, putaverim, prudentia & moderatione, ut ne primaria religionis christianæ capita confundamus capitibus theologiæ christianæ. Religionis christianæ primaria voco capita, qui aliis articuli fidei fundamentales primarii audiunt; quos tantum abest, ut, salva salute, negare liceat ac proterve impugnare, ut neque ignorari possint. Sed, præter eos, habet theologia christiana sua principia, e quibus articulos fidei derivans primarios, ad majorem evidentiæ logicæ gradum evehere illos studet: habet suas præterea conclusiones, quibus, ex articulis primariis rite illatis, tanquam aggere et fossa, totam religionis christianæ munitionem incingere, laborat, & tutiorem ab insultibus hostium reddere. Veritatum illud in theologia christiana genus utrumque, articuli fidei fundamentales secundarii appellantur; qui,

salva

salva salute, ignorari quidem possunt, non, cogniti ac perspecti, salvo fidei fundamento primario, negari. Si multis prius seculis, quam theologia christiana aggere illo & fossa sese muniret, nuda religionis christianæ capita docebantur, quæ, ore & tota vita, sancte professi fidelium infiniti, salutis æternæ participes evaserunt, quomodo religionem et theologiam nostram eodem utramque habeamus loco? ac non potius, alteram ab altera rite distinguere ac separare, ad summam nostram dexteritatem existimemus pertinere? Quæ illa dexteritas? rogas. Scilicet, qui scitu factuque ad salutem consequendam necessaria, a rebus tantummodo conducibilibus, imo systematis tantummodo sui numerum absolventibus, probe discernere didicerit, rectius in vitæ quoque usu versabitur, dijudicaturus, quæ ad omnium Christianorum officium pertineant, quæ non nisi ad munus ecclesiæ doctorum. Profecto, quisquis discrimen illud perneceſſarium ignorat aut negligit, jam nimium in alios acerbus, jam nimium facilis, toto peccabit die. Acerbitate nimia peccabit, si eadem a quovis homine desiderare voluerit christiano, quæ tantum doctores ecclesiæ nosse oportet atque observare: facilitate contra nimia peccabit, si neque a doctore ecclesiæ plura desideraverit, quam ab homine quovis christiano. Cum enim ecclesiæ doctori non suæ tantum salutis cura incumbat, sed pluribus etiam aliis consultor atque auxiliator, in comparanda salute æterna, datus sit, ipsius est in tentationem inductis, sive malis suis crucientur, sive intellectus vexentur scrupulis, in medium, quod res est, docte, apte & appositе consulere: ipsius est petulantibus ingeniis sibique præfidentibus, cum vel acuminis ostentandi causa, vel fanatico acti instinctu, scrupulos aliis in-

 jiciunt,

jiciunt, graviter reſpondere, ſuaque eis arma eripere. Id vero, ſi quis, ſine ſublimiore quadam rerum divinarum humanarumque complurium ſcientia eum præſturum, ſibi perſuadet, næ is, quænam ſit veri cognoſcendi, ſubmovendarum addubitationum errorumque extorquendorum, ratio, ignorat cum ignariſſimis. Itaque non eſt, quod veritates illæ, quos articulos fidei ſecundarios vocant, in publico fidelium coetu promiſcue doceantur, nec ſecus, ac ſi ſalus hominum ageretur ſuprema, ſolicite inculcentur. Ignorari enim, ſalva ſalute, ab eis poſſunt. Non ſecus ac cives ſecuri in oppido poſſunt vivere ac ſpiritum tranquillum ducere, tametſi ignorent murorum ordines, & occultos oppidi cuniculos, et cetera ejus præſidia. Si tamen doceri eas ad populum, publice aut privatim, ſuprema efflagitaverit neceſſitas, charitas mentem atque orationem eccleſiaſtici doctoris dirigat, charitas ſupra zelum valeat. Verendum enim eſt, ne, acrioribus quibusdam quaſi ſtimulis incitati ad aſſenſum nobis adjungendum, in iis rebus, de quibus convinci non potuerunt, in iram agantur atque furorem, acti in furorem, graviter in charitatis leges peccent, cauſæque bonitatem ſæpe prodant potius, quam defendant. In ſcholis contra theologorum hoc quoque veritatum genus docendum fideliter eſt, ac diligentiſſime tradendum. Cum enim ſcholarum theologicarum limina ſalutantes, ad doctorum eccleſiæ munus olim adſpirent, committendum non eſt, ut inter eos nobis deſint, qui irruentium in mœnia noſtra hoſtium vim frangere, aut artes eludere clanculum ſubſtructiones labefactantium, poſſint. Nam, ſi exteriores munitiones adverſariis ſemel occupare licuerit, nec interiora oppidi diu ſalva ſteterint. Poteſt veritatum genus iſtud, ſalva

ſalute,

salute, ignorari, non potest, salvo fidei fundamento primario, negari aut impugnari. Regnet itaque in scholis theologorum, etiam cum articulos fidei secundarios tradunt, regnet inter theologos, cum eorum defensionem mutuo suscipiunt, zelus: sed ita regnet, ut ne, neglecta charitate, plus veritati noceant, quam adversarios doceant. Accuratum hinc veritatum, quas inter se disputare volent, censum instituant: fortius propugnationem sustineant earum, quæ cum fundamento fidei cohærent arctius: moderatius tueantur, a fundamento fidei longius distantes, fundamentum fidei primarium levius ferientes. Nam, licet in veritatum nostrarum regno nulla tam exilis ducenda sit, quam deseramus incurii, vanisque, per negligentiam ac turpem ignaviam, conculcandam permittamus ingeniis; tamen, ut in republica minores audiuntur motus, læso inferioris conditionis cive quodam, graviores honorato magisque in civitate necessario; ita etiam injuria, veritati illata, pro conditione illius ac pondere, est vindicanda, nec fluctus in simpulo excitandi; quos alii rideant, alii stomachentur, nec, nisi imperita plebs & superstitiosa, applaudens miretur. Et ego quidem, plurimum ad publicam rei christianæ causam referre etiam, existimo, ut de his rebus sæpe ac multum inter se differant theologi, in diversas sententias distracti. Sed differant amice, non hostiliter, veritatis ducti studio, non præjudicatis opinionibus velificandi cupiditate incitati: tum rationum momenta placide expromentes, non sales & satyras, & si quod gravius hoc armorum genere habetur, jactantes. Sic enim si disputare instituerint, si minus causam vincent, attamen efficient, ut, si qui, in diversam abeuntes sententiam, teterrimam dogmatis sibi illorum formassent imaginem,

nem, iidem intelligant, se longissime abesse ab iis absurdis, quorum rei aguntur.

Sed fuerunt semper theologi, qui exoticas hypotheses, hypotheses inquam, easque tam philosophicas quam philologicas, historicas et criticas, lubenter in systematibus adoptarunt theologicis, &, quo erant acutiores, hoc artificiosius ingenii sui opiniones singulares, theologicorum dogmatum nomine, aliis iverunt commendatum. Nolim equidem, qui illud fecerunt, promiscue eos damnare aut increpare stomachosius. Nihil enim homini docto est difficilius, quam ita moderari animo, sententiæ alicujus peculiaris specie capto, ut non cupiat ad plures eam propagari & se auctorem celebrari. Si quando igitur peregrinæ hypotheses civitate theologica sunt donatæ, & adhuc donantur, an cum articulis fidei secundariis eodem numero nobis sunt habendæ, & pari in scholis theologicis zelo defendendæ? Quis hoc dixerit? quis prudens suaserit? quis tantam æquo animo inconsiderantiam tulerit? Protestantium saltim theologorum nostrorum nemo est, qui doctores, quos vocant, scholasticos non reprehendat. Quam vero ob rem? quod tot novis theologiam onerarunt vocabulis? barbaris & solœcis dicendi formis deformarunt? Infra gravitatem est voculas percolare, & vocabulorum morosius recognoscere clausulas, ubi non de verbis, sed de subjecta verbis materia, agitur. Hoc maxime judicio omnium, qui judicare hac in re possunt, scholastici peccarunt doctores, quod hypotheses suas philosophicas theologicis veritatibus confundentes, opiniones frivolas, dubias & perplexas, tum dogmata sanctissima, firmissima & luce clariora, in unum censum deduxerunt. Nam quod errores præterea foverunt expoliveruntque theologicos,

non

non illud ipsis, tanquam doctoribus scholasticis, proprium, sed cum ceteris ecclesiæ suæ sociis erat commune. Quo ipsorum instituto, non potuit non systema theologicum immensi labyrinthi faciem induere, unde ne cum filo Ariadnæo te expediveris, & pomum evadere eridos, de quo æternum inter se concertarent principes theologorum. Et sane, quo hodienum spectat pruritus ille, ut leviſſime dicam, nonnullorum, qui, ubi novum quid atque inauditum hactenus extricaverunt, thesibus illud theologicis festinant interponere? Eo spectat, ut, cum plures in suam sententiam pertraxerint, novæ in ecclesia audiantur concertationes, novi tumulus. Non ignota me loqui, existimo, intelligentibus. Memini ego philosophum, causam dicturum, quo consilio psychologiam empiricam a psychologia distinxerit rationali, in hæc verba differere. Esse psychologiam non tantum in reliquis Philosophiæ partibus, in doctrina cum primis morali, sed etiam in universa vita quotidiana, amplissimi usus. Ne igitur res, quæ, tam in theoria quam praxi, summi sunt momenti, incertis & dubiis superstruantur sententiis, justissimam cautionem philosopho ingenuo esse debere & perspicaci, ne psychologiæ empiricæ & rationalis argumentum in unum corpus confundatur. Solam enim psychologiam empiricam extra dubitationis aleam positam esse: rationalem difficultatibus laborare quam plurimis, quæ ingenii humani solertiam adhuc fugiunt. Quis tantum non probet candorem, votisque omnibus non exoptet, ut, quicunque ab eruditione nomen trahunt, parem assumerent animum? Quo gravius tamen est argumentum, in quo industria occupatur theologorum, hoc magis tam commendabilis cura incumbere illis videtur, ne in æternæ salutis negotium

condu-

conducant res dubias atque incertas, quæ ſcepticis atque empæctis omnem eorum cauſam ſuſpectam reddant. Quare remittantur philoſophi cum hypotheſibus ſuis ad philoſophos, philologi ſententias ſuas in corona philologorum diſputare jubeantur, hiſtorica & critica ſuo loco doceantur, theologis, qua ſunt theologi, domeſtica curare, & tantum ex viſceribus ſyſtematis ſui, cujus ſcopus æterna hominum ſalus eſt, eruta atque depromta defendere, religio ſit.

Venio ad articulos fidei primarios, qui, ſalva ſalute, adeo non negari, ut neque ignorari poſſint. Scio, durum nonnullis id genus viſum eſſe dicendi & prope iniquiſſimum; quod homines partes ſibi ſumerent, judiciariam de ſalute & damnatione aliorum æterna pronuntiandi ſententiam. Contra, quam apoſtolus Paulus hortatur. *Tu qui es*, inquit, *qui judicas alienum famulum? proprio domino ſtat, aut cadit*, cetera (*). Sed profecto incommode apoſtoli verba, hisque huc trahuntur ſimilia; quæ temeraria tantummodo hominum judicia, ex odio privato, faſtu & arbitrariis opinionibus profecta, carpunt: non verbi divini comminationes, & ſanctiſſimas Chriſti doctrinas, irritas reddunt. Quas fideles doctores in ore inque ſermonibus, pro muneris ſui gravitate, vehentes, voluntatem divinam non credentibus declarant, nequaquam damnandi poteſtatem, & ad æterna ſupplicia detrudendi quemquam, ſibi arrogant. Audiamus enim apoſtolum, aditum ad deum illis demum aperientem, qui deum eſſe, eumque remuneratorem liberalem quærentibus ipſum futurum, credunt. *Qui*, inquit, *accedit ad deum, hunc credere oportet, quod deus ſit, et quod iis, qui exquirunt eum, remunerator futurus ſit* (**). Ex quo effi-

(*) Rom. XIV, 4. Conf. Jac. IV, 12. (**) Hebr. XI, 6.

efficitur, ut ab aditu ad deum excludendi sint, quotquot deum vel esse, vel exquirentibus ipsum remuneratorem eum futurum, ignorant. Id si quis iniquius putat dictum, ad aeternas beatorum sedes evehat, deum haud colentes, sed neque agnoscentes numen aliquod summum, habiturus eundem apostolum, cujus mitiorem tantopere admiratur sententiam, correctorem. *Sine fide*, inquit, *impossibile est deo placere* (*). Tum Christo prophetarum, quotquot fuerunt, mitissimo, placatissimo, qui non venit hominum animas perdere, sed salvare, damnatoriam in omnes eos ferente sententiam, qui in ipsum non credunt (**), credere autem in ipsum non possunt, qui nihil de ipso audiverunt (***); quæ hæc fidelium doctorum durities, cum damnatoriam eandem sententiam omnibus annuntiant & singulis, qui in illum non credunt, qui illum ignorant? Addo aliud. Si *hæc est vita æterna*, utor verbis Christi non mutatis, *ut cognoscant te* (patrem) *solum verum deum* (*), *et, quem misisti, Jesum Christum* (**), cognitio tamen & ignorantia consistere simul non possunt; quin, deum verum & missum ab eo Jesum Christum ignorantes, longe absint a via salutis, dubitare nemo potest. Aberrans a via salutis ad damnationem suam præceps ruit. Eodem denique mundi salvatore negante, ingressurum in regnum cœlorum, qui ex aqua & spiritu non fuerit renatus (***): salutaris autem lavacri istius, qui extra gremium ecclesiæ vivunt, vel ideo compotes non evadunt, quod ejus ignorent necessitatem, dari veritates, quas, salva salute, ignorare non licet, apertum est.

(*) Hebr. loc. cit. (**) Joh. III, 18. 36. (***) Rom. X, 14. (*) 1 Joh. V, 20. (**) Joh. XVII, 3. (***) Joh. III, 5.

est. Cum tanta sit veritatum nonnullarum, quibus vel omnis in genere religio vera, vel religio sigillatim nititur christiana, necessitas, ut, salva salute, neque ignorari possint, tantum abest, ut eas temere negare fas sit, in charitatem, quam aliis ex præcepto divino debemus, peccaverimus, si quoscunque, hostiliter in eas irruentes & sanctuarium dei summi polluentes, moderato pateremur animo & tranquillo. Zelus hic, supra charitatem, regnet; ipsa enim in his charitas præsidium a zelo flagitat, zelum ad arma vocat. Johannes quidem apostolus, mutuum præ ceteris studiosissime nobis commendans amorem, & charitatem erga alios perpetuam, cum sermo ei esset de dogmate, quod in maxime necessariis reponendum, impostorem, qui illud infitiatur, & antichristum vocat: eidemque illi neque ave a nobis dicendum vult, qui sanam ad nos Christi doctrinam non adtulerit (*). Hæc apostolus de zelo, quo induti omne etiam consortium fugere jubemur illorum, qui in principes aliquod doctrinæ christianæ caput inimice irruunt. Ex quo longe a divinarum literarum reverentia, longe a studio veri, se produnt abesse, quicunque ad conjuratos cœlestis veritatis hostes conjunctionis illud vinculum extendunt, quod solos arctius copulare deberet, qui meliorum sunt partium, fratres. Nam, nisi veritatem atque errores juxta æstimes damnabiles, fieri per naturam non potest, ut amicis & inimicis æqualiter utaris veritatis divinæ, ejus inquam divinæ veritatis, unde salutem tuam persuasus es pendere supremam. Quantum enim cum errore, in quo hostes versantur veritatis, salutem illorum consistere posse adfirmaveris, tantum veritatem, quam ipse profiteris, tantum salutis tuæ spem, veri-

(*) 2 Joh. v. 7. 10.

veritate innixam, infirmaveris. Nihil hinc relinquitur, quam ut, qui amicis atque inimicis scitu crediuque necessariæ veritatis æqualiter utuntur, iidem per insciti am, turpem ignaviam, animi levitatem & æternorum incuriam, veritatem atque errores juxta æstimare censeantur damnabiles. Quid hinc dicam de offensione, qua alii læduntur, in quorum communione vivunt? Non enim possunt salvificæ veritatis inimicis familiarius uti, quin in suspicionem cadant, si non proditæ, at certe pro nihilo ductæ, quæ sanctissima eis deberet esse, veritatis.

Si tamen professi salutaris veritatis hostes judicari nequeunt, nisi procaciter eam insectantes atque inimice, male in contrariam partem vim apostolicorum rapuerimus verborum, si zelo quoque potius invadendos, quam charitate amplectendos & amice docendos, constitueremus, qui cœlestem veritatem ignorant, aut, per imbecillitatem ingenii & præjudicatarum, quibus a teneris sunt imbuti, opinionum efficaciam, eandem repudiant. Charitate isti, ad veritatis causam placide atque benigne audiendam, sunt invitandi: charitate, si repugnent, etiam atque etiam urgendi: charitate, donec felix illa exoriatur dies, qua divina bonitas ipsorum misereatur, ferendi. *Dei* enim *hoc est opus, ut credant in eum, quem misit ille* (*) Jesum Christum. Serius ille alios, alios celerius, vocat & ad agnitionem veritatis perducit. Sic Christus, quanta moderatione tulit ignorantiam, tarditatem & inveteratos discipulorum suorum errores, in rebus gravissimi momenti? quam non invitus illud præstolatus est tempus, quo, Spiritu sancto pleni, in omnem ducerentur veritatem (**)? quam

 patien-

(*) Joh. VI, 29. (**) Joh. XVI, 12. seqq.

patienter, post ipsam Spiritus sancti effusionem, graviter subinde fluctuantes toleravit (*)? Ac nobis, qui longe distamus a docendi, quæ in Christo fuit, dexteritate & vi, tantum abest, ut fas sit irasci victas statim manus porrigere recusantibus, ut etiam, dum absint a maledicentia & inimica insectatione, omnia metuenda sint, ne culpa non impetrati ab errantibus adsensus in nostra forte resideat seu inscientia, seu persuadendi impotentia, seu obscuriora perspicue explicandi imbecillitate. Sunt enim profecto res, sunt, explicatu captuque præ ceteris difficiliores; quibus si ad liquidam veritatem pervenire cupidi fortius reluctentur, non tam damnandi a nobis sunt continuo acriusque objurgandi, quam diligentius instituendi, flagrantissimisque precibus divinæ misericordiæ commendandi. Contra, si quos infrenis ambitio & jactantia, si lucri privati cupiditas, audacia & temeritas, ad oppugnationem salvificæ veritatis instimulet, si omnem moveant lapidem, ut plures alios in errorem abducant, inque mendacio confirment, si a maledictis & insectatione se non abstineant, quin zelo, in hoc certaminis genere, primæ partes competant, animi dubius hærere nemo potest. Ac tantum refert, solicite investigasse, quo animo atque instituto adversum veritatem quis insurgat, ut, si qui malam mentem non prodant, sintque ad cognoscendum, natura atque ingenio educationisque vitio, hebetiores, in fundamento quoque fidei primario mitius sint tractandi. Acumine contra hæc pollentes satisque ab arte instructi, si perversi animi signa edant atque specimina, neque in fundamento fidei secundario commode sunt ferendi. Est enim, quod ab iniquitate ipsorum metuas, ne omnis ipsorum eo tendat conatus,

(*) Actor. X, 13. seqq.

conatus, ut a conclusionibus ad ipsa adscendant principia, eversisque necessariis consequentiis, primas, unde inferuntur, eversum eant veritates. Restant alia, pro diverso alienorum a veritate instituto & animi habitu, tam ad zelum regendum, quam moderandam charitatem, utilia, silentio hinc nobis haud prætereunda.

Potest in errore aliquis versari, qui, si ad vitam trahatur, maxime evadat pernicioſus, & vel ad securitatem errantes illiciat, vel ad desperationem agat. Potest tamen is, qui tam exitialem profitetur & propugnat errorem, nullam ejus in usu vitæ rationem habere, sed, sensum communem, vel potius veriorem gratiæ Spiritus sancti prævenientis vocem, audiens, ab utroque præcipitio studiosissime sibi cavere. Injurii in charitatem essemus, si religiose, quæ ad muneris sui officium pertinent, observantem exsequentemque damnaremus immites: zeli tamen etiam sanctissima proderemus jura, si parem indulgentiam erga ipsum probaremus errorem. Varius enim & mutabilis cum sit animus hominum, accidere profecto potest, ut secundo rerum gaudens cursu errorem suum ad securitatem transferat; adversa cum fortuna conflictans, aut sub tentationis igne desudans, eodem ad desperationem utatur. Quamobrem, si late disseminetur & propagetur ampliſſime, quo majus saluti plurimorum imminet discrimen, hoc magis sincerum evigilare zelum oportet. Fit autem non raro, ut de dogmatis alicujus veritate dubitare subeat hominibus integerrimis; qui, dum scrupulis suis nequaquam sese patiuntur impelli, ut dogma sanctum rejiciant atque impugnent, neque ut illud ad alios transfundant, charitatem a nobis & consilium exigunt præsentissimum. At, si scrupulis ad infitiandam veritatem & ad vitam abutantur regendam, monendi quidem

quidem illi sunt, si tamen faciles audire monitores suos recusent, zelo petendi. Nam etsi scrupuli labefactare possunt judicii nostri de veritate dogmatis firmitatem, ipsam tamen nondum penitus subvertunt veritatem. Quare malum prodit animum, & officii sui vincula rumpendi cupidum, quisquis contra veritatem vivere ac sentire instituit, tametsi in apertis eam potius erroribus, quam veritatum numero, reponendam esse, nondum ad liquidum perspexit. Si qui vero scrupulis suis divinas contra veritates cruciantur, neque tamen illos in principia cogitandi atque agendi degenerare patiuntur, sunt hi ante alios digniſſimi, quos charitate feramus, & precum nostrarum sublevemus suffragiis. Graviſſimum illud tentationum est genus, in quo, si durius in luctantem inveharis, plus semper acerbitate noceas, quam prosis. Nullæ hic nostræ sunt partes, quam instare docendo, amanterque veritatem inter & errorem dubios monendo, velint scrupulos bene in sinu suo reconditos fovere, nolint, nisi cum fidiſſimis amicis, eos communicare: velint tempus illud, quo deus obscuratam veritatis lucem denuo eis retexerit, patienter exspectare, nolint interea, qualescunque propter rationes, quibus in contrariam partem trahuntur, ab officio recedere. Duplicis praeterea generis esse possunt, qui a nobis dissentiunt; in quorum alios non injustus fuerit zelus, sed æquissima erga alios charitas. Nam vel thesin, quam in divinis veritatibus colimus, infitiantur, vel tantum probationem, qua asserere eam consuevimus, repudiant: promtos illi nos ad respondendum flagitant, placidos hi ad audiendum invitant. Sive enim meliore probatione veniant instructi, sive veteris aliquod vitium notantes, utrumque ad laudem ipsorum est adscribendum:

dum: alterum, quod veritáti tam egregiam navarunt operam, alterum, quod doctioribus materiam præbere voluerunt, in quo ingenii ſui vires, ad communem utilitatem, exercerent. Id quidem pro certo conſtituendum, qui theſeos alicujus probationem repudiat, non ipſam illum per ſe theſin repudiare. Ad geometras ſi accedamus, tametſi in demonſtrando toto die non conveniant, nullum tamen inter ipſos diſcidium oſervabimus regnare; quoniam diſſenſum in demonſtrando, ad propoſitionum ſuarum vim earumque connexionem infringendam, nihil conferre, ſatis perſpectum habent. Propriæ theologis ac domeſticæ probationes ſunt ſcripturarum ſacrarum teſtimonia. Ergo, ſi quis ſcripturæ aliquem locum neget probare, quod probandum ex eo ſumſimus, cujusve probandi cauſa vulgo ſolet excitari, is, dogma ipſum in dubium vocare, nondum ſane eſt judicandus. At ſi quis clariſſimas probationes divinarum literarum temere rejiciat, & vel de induſtria nullas reponat, vel nequiter eis ſufficiat invalidas atque alienas, non ille probationes impugnare, ſed dogmatum veritati inſidias ſtruere, exiſtimandus eſt, eodemque a nobis in cenſu habendus, quo theticæ veritatis inimici. Sed neque animus nobis eſt exegeſin probare audaciorem, quam multi noſtra ætate ſunt amplexi: eos volo, qui, licet a dogmatum, quæ ore profitentur, veritate agnoſcenda videri nolunt abhorrere, nuſquam tamen id ſibi repertum nobis perſuadent, quod invenerunt nobisque per manus tradiderunt majores. Errarunt iſti, pro communi hominum ſorte, non raro, errarunt his deſtituti adminiculis, quibus nos abundamus, errarunt ſeculi ſui, ad captandum ſimiles argumento alicui voculas avidi nimis & pernicis, genio decepti.

At

At certe, eo nobiscum ventum est, ut metuendum sit, ne plura expungamus per audaciam, quam illi adsciverunt per cognitionis, in critices & studio linguarum, angustiam. Tam varius est animi alienorum a varietate habitus: tam multiplex errorum, quos patrocinio dignantur, vel certe amplexantur, facies: tanta difficultas zelum inter & charitatem amicum inveniendi sequendique temperamentum!

Quod si jam de adversario constet, & exploratum præterea nobis fuerit, utrum zelo petendus sit, an charitate ferendus: si res, in qua convellenda occupatur, zelum postulaverit; cum suos gradus habeat zelus, id denique expediendum restat, quomodo zelus ille sapienter nobis sit regendus. Dabimus operam, ut, hac quoque parte, princeps hominis christiani officium sartum & tectum habeamus, ut charitati, quam maxime possumus, sua jura custodiamus. Ac primum, usus plerumque est adversariis, veritatem alicujus dogmatis obscuraturis, in deteriorem illud partem rapere, illatis conclusionibus violentis, quæ ex dogmate nequaquam fluunt oppugnato, sed tantum per invidiam cum eo constipantur. Quo iniquior ratio ista est disputandi, hoc magis nos urere & ad resistendum acrius exasperare solet; magna hinc cautione nobis opus, ne æqui justique limites, justo quippe incensi dolore, transiliamus. Recte igitur facimus, dicendo scribendoque contra iniquos nitentes insultus, & tam dogmatis nostri integritatem totis viribus defendentes, quam indignas studioso veritatis artes illas, ad quarum præsidium adversarii confugiunt, in claram lucem proferentes. At si sit, ut ipsa vitæ praxi confutando simus accusationes adversaricrum, falsas illas & longe iniquissimas, liberale ego in primis

disputandi illud existimo esse genus, tum homini christiano, maxime vero theologo, honorificentissimum, ipsa vitæ praxi palam omnibus declarare, quam procul absimus a culpa erroris, quem adversarii, hostilis odii œstro perciti, nobis impingunt. Nullis hactenus usus sum exemplis, imperare tamen mihi non possum, quin, illustrandi certissimi, contra invidiosas adversariorum imputationes, consilii gratia, aliquod hoc loco adferam. Docentibus Protestantium ecclesiarum nostrarum doctoribus, nullo operum nostrorum merito, sed sola dei gratia, per Christum in nos effusa, fide autem in meritum Christi nobis applicanda, remissionem peccatorum coram deo nos consequi atque æternum salvari; an bona opera ex ecclesiis nostris proscripsimus, omnibusque cupiditatibus suis indulgendi facultatem hominibus tribuimus? Absit a nobis ea mens, & quam longissime absit! Quisquis universam systematis nostri compagem, & intimum inter justificationem & sanctificationem, ex mente nostra, nexum, perspicere voluerit, vere ille, apostoli Pauli verba, nostra concedet esse verba: *Quid igitur dicemus? Manebimusne in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo posthac vivemus in eodem* (*)? Hostibus tamen hinc meriti Christi, defensoribus illinc operum, ad fovendam imperitæ plebeculæ superstitionem, acutiorum fastum, avaritiam & insanam luxuriam alendam, callidissime effictorum, etiam atque etiam ostia nostra occentantibus, inque apertis bonorum operum contemtoribus nos reponentibus, cumulatisne disputationum voluminibus, an vitæ innocenter actæ studio flagrantissimoque bonorum operum exercitio, retundere eos fortius poterimus? Ego equidem nullus dubito,



(*) Rom. VI, 1. 2.

bito, practicum illud disputandi genus, & ad confundendos adversarios, & ad causæ nostræ innocentiam asserendam, plus valiturum, quam sexcenta disputationum volumina, & molem librorum in immensum exaggeratam. Tanta adversus calumniam, & iniquas adversariorum veritatis criminationes, cum praxeos sit vis, Petrus apostolus nihil hoc nobis præsidio, nulla quidem nostra culpa male audientibus, prius esse voluit aut antiquius. *Conversationem*, inquit, *vestram habete honestam inter gentes, ut, in hoc, quod obtrectant vobis, quasi maleficis, ex bonis operibus æstimantes vos, glorificent deum, in die visitationis* (*).

Sed, ut eo redeat, unde deflexit oratio. Vidimus, adversarios veritatis proniſſimos esse ad dogmata, quæ impugnant, iniquis conclusionibus in invidiam adducenda, eosque ipsorum mores non immerito reprobavimus. Pessima hinc fide patrocinium susciperemus veritatis, si, quod in adversariis damnamus, nobis crederemus esse permissum: si & ipsi, errores adversariorum repressuri, ad argumentum, ab odio et invidia arcessitum, consulto prolaberemur. Non hic de nostra, sed de veritatis, agitur victoria. Ridiculum vero ac longe absurdissimum est, ubi veritas neque in aciem visa est educi, sed ubi pugnarunt fraudes, insidiæ ac doli mali, veritati victrici epinicia cantare. At enim serpentum imitari jubemur prudentiam (**). Verum, si prudentiam, quæ a serpentibus discenda nobis est, ad fallacias & injurias transferre voluerimus aliorum: morum simplicitas, quæ ex ingenio nobis commendatur columbarum, cui usui fuerit? Itaque, ut consilio Christi sua constet integritas, semper simplices columbarum exprimere studeamus mores, & candorem, quod in nobis est,

(*) 1 Petr. II, 12. (**) Matth. X, 16.

est, præferamus, deo ac bonis omnibus amabilem: ad serpentum prudentiam tantum, quia hostes veritatis ad fraudes acuti sunt, ut ex insidiis illorum evadamus, cautio nobis sit inclinare. Qualemnam vero prudentiam? non dolosam illam, quæ, uti a moribus, ita & a præceptis, Christi alieniſſima est: sed quam natura ipsa ad defensionem nostri nobis insevit, ratio exacuit; nunquam tamen non, meditatione summi officii nostri, moderandam: *quidquid vultis, ut vobis faciant alii, idem vos quoque eis facite* (*). Quare, facessant a certaminibus nostris, quas ipsi cogimur inire, callidorum, quam fortium, pugnatorum, artes: facessant fallaciæ, quæ neque in virum bonum cadunt, tantum abest, ut theologum deceant christianum: facessant argumenta, ab odio & invidia ducta, quocunque veniant nomine (**). At, si hostibus ipsis officia candoris & æquitatis denegare haud possumus, nonne multo magis cum fratribus nostris, cum in errorem prolabuntur incauti, peramanter agemus? Aberrasse ipsorum aliquis a vero videtur: non prorsus tamen apertus est error. Nolimus veluti in eum, qui manifesto errori proximus est, insurgere: quin

(*) Matth. VII, 12.

(**) Expedivit amplissimum argumentum IOH. CLERICVS, in appendice *Logices suæ*, quam, *dissertationem philosophicam de argumento theologico ab invidia ducto*, inscripsit. Nempe, non potuit vir doctus, de argumento ab invidia scribens, ab invidia & odio sibi temperare. Nam, si malos hominum, in omni genere vitæ, respicias mores, non magis grammaticum, criticum, philosophicum, & quale non? dici potuisset argumentum, quam theologicum. Quid, PETRVS BAYLIVS, in certamen cum Clerico conjectus,

quin, quorsum sententia ejus inclinet, remotis arbitris, placide illum interrogemus atque amice. Sit ita, ut pateat error, quem erravit: verum errasse potuit imprudens. Periculum faciamus hominem in viam reducere privatim: non publice statim universæ, in qua vivit, societati suspectum reddamus atque invisum. Si privata bene processerit admonitio, nihil sane amiserimus, nisi forte litigiosas aliquot disputationes, ad quæ properare homines tantummodo prurientes solent, pugnaces & imperiosi. Si non successerit, & ad communem ecclesiæ salutem interfuerit, ut errorem coarguamus publice, tum demum adveniisse putemus illud tempus, quo, exhausta charitate, ad zeli non immoderati recurramus præsidium. Quot litibus, quot illiberalibus concertationibus, quot scissionibus infaustis, ecclesia carere potuisset, si ad æquissimam hanc legem animum voluissent adtendere, qui debuissent? Lex enim profecto est, non ingeniose conficta, & ab inepta lenitate facilitateque prava constituta: sed olim jam a Christo, legislatore nostro summo, non tam praescripta, quam ex rationali natura nostra expressa, & ecclesiæ suæ commissa ad usum (*).

Ad

nonne visus sibi est deprehendisse, illum, non philosopho, non viro docto dignis, secum pugnare argumentis: sed incentivis uti, ad quæ impotentibus tantum atque indoctis Curionibus confugere, in more positum est. Legenti itaque dissertationis Clerici titulum, cui non veniat in mentem Ciceronis illius? *Ipsi illi philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari sese ac nominari volunt.* Cic. pro Archia cap. 11.

(*) Matth. XVIII, 15. seqq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0048
DFG

Ad eos denique accedamus, qui non tantum in fidei fundamento impingunt, nec solum corrigi & doceri pertinaciter recusant, sed etiam errores suos insolentius propagant, usque adeo, ut sæpe neque ab inimica salutaris veritatis infectatione sese abstineant. Hæreticos uno dicerem verbo, nisi fuisset a multis annis, essetque adhuc, quorundam is mos, ut a se dissentientes protinus vocitent hæreticos, inque eos sibi licere putent, quidquid, per animi ardorem & immitem quemcunque dissensum ulciscendi severitatem, libuerit. In tanto nominis ad summam indignitatem abusu, factum est, ut non solum nihil ignominiæ haberet, sed etiam vehementer pulchresceret apud nonnullos; cum enim in justissimum quemque jaceretur, creditum ab ipsis est, statim ac hæretici dicerentur, id ad indicium malæ causæ adversariorum, suam contra innocentiam declarandam, sumturos esse, quotquot tantam illam in omnes dissentientes sæviendi aversarentur acerbitatem. Quare, omisso litigioso vocabulo, cujus veram significandi vim jam pridem amisimus, de iis dispiciamus, qui falsam doctrinam, fundamento fidei contrariam, non sine gravi purioris cœtus offensione & detrimento, pertinacius defendunt. Aliter profecto ex principiis theologicis, aliter ex axiomatibus politicis, dijudicanda mihi quidem videtur quæstio, utrum, & quoad, ferendi isti sint, an minus? Nam ex principiis theologicis, quoniam arma nostra non carnalia sunt, sed spiritualia, posita in docendo, convincendo, refutando, patiendo & orando, quænam ad theologi munus hac quoque pertineant parte, abunde liquet. In quodcunque hinc certaminis genus theologus involvatur, progredi ad inimicas criminationes, multitudinis concitationem & vis externæ præsidi-

um,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0049
DFG

um, non potest, ut non simul, deserta statione sua, eorum sese adjungat lateri, quorum est armis carnalibus pugnare. Ad quæ recurrere si fas nobis esse censuerimus, si vi & armis usi fuerimus re vera, qua fiducia, vel potius qua fronte quove pudore, usurpaverimus non ignobile illud pro veritate religionis christianæ argumentum, eam, nulla armorum vi & potentia externa, sed unis veritatis viribus, tanto cum successu, tam late tamque magnifice, propagatam esse? Repugnat talis ac tanta lævitia naturæ & indoli religionis veræ, quæ cum in agnitione primum dei summi, deinde in agniti cultu consistat sincero, quis ille cultus esse potest sincerus, qui non ex cognitione & convictione intellectus proficiscitur, sed metu pœnæ durioris extorquetur? Est hoc ecclesiæ sanctitatem hypocritis & subdolis obtrectatoribus obscurare, non illustriorem reddere: est hoc ecclesiæ dignitatem ex numero, non ex sanctimonia, qui eam componunt, æstimare. Vsque adeo carnalis illa terreni nescio cujus regni, quod Judæi, adveniente Messia, somniabant, spes & insolens opinio Christianorum quoque mentes fascinavit! Quorsum enim numerus male conciliatorum? quorsum copia simulatorum? nisi ad imperii fines fastosorum proferendos, ad augendum lucripetarum censum, ad exercendam magis magisque in tenues atque invalidos potentiam. Hiscine doctrinis nos imbuit Christus? hiscine instruxit stratagematibus? Audiant spiritum ejus loquentem, & pudore suffundantur, quicunque Christiani dici volunt, sanguinem tamen, doctrinam illius propagaturi, & cædes & durissima quæque supplicia spirant crudeles. *Nescitis*, mitissima ait voce, *cujus spiritus filii estis? Filius hominis non venit ad perdendum animas hominum, sed*

*ad*

*ad ſervandum* (*). At enim de animarum hæc ſunt accipienda ſalute: et perdit eccleſia corpus, ut animam ſervet. O iræ impotentis inconſiderantiam! Nonne, cum a Samaritis rejicerentur, indignabundi perſuaſum iverunt Chriſto, Jacobus & Johannes, *Vis*, inquit, *dicamus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos, quemadmodum & Elias fecit* (**)? & eos corrigens verbis recitatis Chriſtus, nonne, pro re nata, negat, ſui eſſe inſtituti, hominum vitam & facultates ipſorum perdere? Addo, nonne iisdem ipſis verbis omnem, quæ in republica Judaica vel præcipiebatur, vel a prophetis, non privato, ſed divino, inſtinctu, exercebatur, ab aſſeclis & ſectatoribus ſuis pœnarum removit in diſſentientes a nobis de fide ſeveritatem? Quam qui, ex politiæ Judaicæ ratione repetentes, in eccleſia chriſtiana volunt erigere, legem Moſaicam revocent univerſam. Ad hypocritas quod attinet, quibus eccleſia obruitur & inquinatur, adhibita in diſſentientes a nobis de fide vi & potentia externa, reſpondent argutuli. Sint ſimulatores parentes, maneant filii: nepotes certe & poſteri fidiſſima eccleſiæ membra evadent. Vide mihi carnalem ſapientiam ſupra divinam ſeſe extollentem. Si enim recte iſta dicuntur, non recte Chriſtus apoſtolos ſuos, in mundum univerſum dimiſſos, docere juſſit gentes, & viribus veritatis jugo ſuo miti ſubdere. Gladio, igne & omni ſuppliciorum genere inſtruendi, plus quam duodecim angelorum legionibus erant ſtipandi; quibus præſidiis licet parentes & filii ad frugem non reducerentur, nepotes tamen & poſteri meliorem allaturi eſſent ſpem. Non neſcio, fuiſſe tempora, quibus vi & armis religionem chriſtianam profiteri coacti haud pauci, poſteritatem

(*) Lucæ IX, 55. 56. (**) Ib. v. 54.

tem ediderunt, ex qua plures illuxerunt boni Christiani. Nempe, novit deus ex malis etiam hominum bonum elicere: sed bonum, quod elicit, nihil ad excusationem patrati ab hominibus mali facit. Quare, qui ignominiæ illam maculam christianæ inusserunt religioni, ut fines ejus sæviendo, pugnando & mactando proferrent, etsi deus bona inde derivavit uberrima, non magis tamen a crimine absolvendi sunt, quam proditor Christi Judas Ischariotes, cujus scelus tantam universo orbi adtulit salutem. Ergo, ex principiis theologicis, nulla in eos ipsos, qui in fundamento fidei errant erroremque suum pertinaciter defendunt, theologo a Christo concessa sunt arma, quam spiritualia, verbum dei et verbi divini vires. *Non est regnum Christi de hoc mundo: si de hoc mundo esset regnum ejus, ministri sui utique decertassent, ne traderetur Judæis: nunc autem regnum ejus non est hinc* (*). Quare, cum ea tantum nostrum sit explicare, quæ ad munus spectant theologi, verbum præterea non adderemus, nisi plura, in invidiosissimo argumento, disputarentur, quæ si sicco pede transiremus, vacui a maligna non essemus suspicione.

Nihil tamen profecto superat, theologo injungendum: id unum restat, quid de hæreticis, quos vocant, statuendum, ex principiis politicis? Quidam igitur, ad unum societatum civilium scopum, publicam tranquillitatem & felicitatem in hac vita, animum intendentes, hæreticos ferendos esse censuerunt, nisi iidem rempublicam turbarent, sintque tanquam turbatores publicæ tranquillitatis, pro criminis sui modo & pondere, plectendi. Sed hæc dilucidius exponenda mihi videntur,

(*) Joh. XVIII, 36.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0052
DFG

tur, nisi, vaga rotunditate dictorum decepti, a politicæ christianæ principiis discedere velimus, & non necessariis difficultatibus implicari. Fingamus enim religionis nomine spargere aliquem seditiosas sententias, tranquillitatis & salutis publicæ bases, ejus, in qua vivit, civitatis, pessumdantes; fateor, coercendum illum pro criminis sui esse ratione. Sed hoc minime apud eos est in controversia, qui de hæreticis ferendis, an non ferendis, disputant; non enim de turbatoribus tranquillitatis civilis, sed tranquillitatis ecclesiasticæ, quæritur. Fingamus occulte aliquem fovere in materia religionis exitiales opiniones; quoniam de occultis nullum est judicium humanum, neque hoc genus erroris, quantumvis grave sit, in nostram venire controversiam potest. Fingamus addictum aliquem damnabilibus de fide christiana sententiis animum prodidisse, at monitum conquievisse, neque virus suum in alios perrexisse diffundere; quoniam, nulla præsenti ecclesiæ cum offensione & damno, in errore perseverat, ferendum & ego existimaverim hactenus. Fingamus denique pernicioſos aliquem non tantum alere, sed omni etiam studio ad plures alios propagare fidei errores, neque ab incepto suo desistere velle monitum atque objurgatum; eundem illum æqualiter ferre ac pati, in quavis alia republica consentaneum esse dixeris, quam cujus magistratus, vel populus, religionem profitetur christianam. Huic enim si vel populus, vel summus addictus sit magistratus, quin illius non minus officii sit, quam hominis cujusque christiani, veritatem divinam protegere, & ab insultibus hostium incolumem præstare, nemo, rem serio agens, & cui religio lusus & jocus non est, infitias ire potuerit. Hic igitur statuendum videtur. Aut veritatis salvificæ ho-

ſtes, hæretici, ſi placet, ſive jure ſuo ſive injuria hoc quidquid eſt gerant nominis, per pacta & ſolemnia promiſſa, conſcientiæ libertatem & religionis ſuæ exercitium, publicum ſive privatum, obtinuerunt, aut minus. Si obtinuerunt, illæſi ſunt permittendi & inviolati, idque propter pactorum & promiſſorum ſanctitatem. Nihil enim chriſtiano nomine indignius, nihil ab omni honeſtate remotius, nihil ad generis humani ruinam nequius, ex orci faucibus derivari potuit, quam peſtilentiſſima illa vox, hæreticis non eſt ſervanda fides. Nam ſi fidem in uno violare licuerit, quid vetat, quo minus in aliis, imo in pluribus? Neque enim malis unquam defuturæ ſunt cauſæ ſpecioſæ, quas ad datam fidem frangendam ſatis judicent eſſe prægnantes. Profligata inter homines fide, neque ipſa ſalus commorari inter eos potuerit. Quod ſi per pacta & magiſtratus promiſſa conſcientiæ libertatem, & publicum aut privatum religionis ſuæ exercitium, hæretici in ditione aliqua non obtinuerunt, a mera magiſtratus dominantisque religionis indulgentia, benevolentia & conniventia pendere cenſendi ſunt. Verum, ſi magiſtratus ferre eos nolit, det eis liberam ſolum vertendi facultatem; nam, ut vim adhibeat, facultatibus ſuis exuat migrantes, ſpoliet, repugnat illud cum ſanctiſſimæ religionis, a Chriſto nobis traditæ, præceptis, uti demonſtravimus. Sic ſane, quod ad ſummam acuminis, integritatis & chriſtianæ charitatis Germanorum noſtrorum commendationem facit, tota quoque hæc, ſolemni pace Weſtphalica, controverſia diremta eſt. Ceterum, da mihi doctores, apoſtolorum Chriſti ſimiles, qui tot, qui tantis, tam non obſcuris, tam illuſtribus, cum ſignis & prodigiis, tum ſanctitate doctrinæ & morum innocentia, ſe dei ad nos lega-

legatione fungi, teſtentur, negabo, ullum ſapientiæ humanæ, ullum conſultationibus acutis, relictum eſſe locum: plus dei vocem audiendam eſſe, quam conſilia hominum, adfirmabo. Ex hoc fonte cautum illud manavit conſilium Gamalielis (*); quod fruſtra ſuum faciunt, nullo tam expreſſo divinæ legationis ſuæ charactere inſtructi, quo apoſtoli Chriſti illuxere. Da mihi deinde totas provincias, populos cum ſuis magiſtratibus, ſubito & collectim, ad doctrinam aliquam fidei ſe inclinare, quis digitum dei in tam admirando agnoſcere recuſet opere? Quis, ſi veritatem intelligat amplexos, bonitatem divinam celebrare; quis, ſi fraudibus & impoſturis circumventos ſentiat, juſta dei judicia revereri, dubitet? Licet, in tam illuſtri converſione rerum, varia variis, ad liquidam veritatem pervenire enitentibus, diſputare: vim facere & arma in aliena republica viventibus inferre, non licet. Quis enim id muneris ſibi a deo demandatum, rectæ rationis audiens dictamina, eſſe doceat? fraudibus, inſidiis, cædibus & ſtragibus immenſis rem chriſtianam proferre & ſervare, a ſpiritu Chriſti, legatione apoſtolorum & moribus apoſtolicorum virorum, prorſus etiam abhorrere, oſtendimus.

Non puto benevolentia, AVDITORES, patientiaque veſtra me abuſum eſſe hactenus: ſi tamen exceſſiſſem placiti inter vos modi fines, facile ab eximia veſtra humanitate me impetraturum, ſpero, ut moris veſtri ignarum, peregrinum atque advenam, liberaliter excuſatum habeatis. Nam me, ſeu argumenti dignitas & amplitudo longius provexit, ſeu muneris mihi demandati gravitas ſtudioſius, quæ mearum ſunt partium, medi-



(*) Actor. V, 38. 39.

tari coegit; quæ pluribus vobiscum communicabo alias, ne facilitati vim in præsentia vestræ feciſſe videar non deprecandam (*). Neque enim dicendi, quæ vellem, cupiditate ardentem immemorem decet esse me, cujus rei causa huc vos potissimum invitaverim, & cujus jucunditate excitati, vos, hoc lubentiores precibus meis annuistis, quo exspectatius omne vobis est tempus publice etiam solemniterque declarandi, in quod præcipue officium, vel potius in quam pietatem, cum a deo optimo maximo discesseritis, vobis est usus incumbere.

Sereniſſimo itaque ac Potentiſſimo Principi & Domino FRIDERICO, SVECORVM, GOTHORVM VANDALORVMQVE REGI, HASSIAE LANDGRAVIO, RELIQVA, Regi ac Domino nostro longe clementiſſimo, Patri Patriæ indulgentiſſimo, FELICITER! Salvum fac Regem, o deus! Principem optimum, Principem mitiſſimum, Principem amabiliſſimum: salvum fac nobis, diuque intereſſe eum adhuc jubeas rebus populorum, quos numinis tui vice regendos accepit, communibus totius Europæ suffragiis digniſſimus jam olim judicatus, heros, qui gemino succederet CAROLO, Affini, Patri: illi bellicis artibus, ad omnis ævi

(*) Hæc dixeram perorans, quandoquidem pleraque partis tertiæ orationis nostræ prætermittenda duxi; ratus, magis, in audiendo, nimium offendere, quam parum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0056
DFG

ævi memoriam, qua ſidus utrumque currit, inclito; huic togatis honoribus, quaqua temperatiores mores, & quidam quaſi guſtus elegantior, in ore feruntur, commendatiſſimo. Sed cum alii Principis noſtri res, in ampliſſimis occidentis & ſeptentrionis regionibus, ſtrenue ac fortiter geſtas, loquentur, faſtisque inſertas in orbis terræ memoriam ſparſerint ac diſſeminaverint ſempiternam: nos liberis & nepotibus noſtris, &, quæ longo hos ordine ſequetur, poſteritati univerſæ, aureæ pacis tempora, quibus terræ Haſſiacæ, toto imperii ejus tempore, diuturna inter bella & clades utriusque orbis partis funeſtiſſimas, ſeſe extulerunt felices, narrabimus, celebrabimus, laudibus omnibus prædicabimus.

Sereniſſimo Principi ac Domino, GVILIELMO, HASSIAE LANDGRAVIO, COMITI HANOVIAE, RELIQVA, Regis fratris, per hæreditarias Germaniæ provincias, Vicario ſupremo, Principi pariter ac Domino noſtro clementiſſimo, FELICITER! Fac, optime deus! ut longos & porro per annos Principis ſapientiſſimi, juſtiſſimi, munificentiſſimi imperio felicibusque auſpiciis Haſſiacæ noſtræ provinciæ floreant,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0057
DFG

ant, ac quaquaverſum omnibus ſeſe lætitiis efferant: florebunt certe veriſſimisque gaudiis ſeſe explebunt, ſi, quod in flagrantisſimis votis habemus, ſero illum ad te, nec, niſi annis & gloria ſaturum, redire jusſeris. Mihi quidem Principis ſummi nomen & laudes ſemper in animo infixæ ſedebunt, ſemper in ore & ſermonibus hærebunt, ſemper in omnibus meis precibus vigebunt. Solus enim ille Camœnas noſtras reſpexit, jacentes erexit, & ad hunc gradum bonus provexit.

Serenisſimo Principi Juventutis ac Domino FRIDERICO, HASSIAE LANDGRAVIO, RELIQVA, Rectori academiæ Magnificentisſimo, dulci illi Hasſiæ noſtræ ocello, nec non Serenisſimæ CONIVGI illius Regiæ, & PROLI Auguſtæ, avorum ſuorum deliciis, FELICITER! Vivite illuſtres animæ, Pater Princeps & Filii Principes, civium veſtrorum lux & ſpes fidisſimæ! vivite felices, &, ſi quid pia vota poſſunt, bonis omnibus, quibus utriusque vitæ beatitudo conſtat, ſupra vota noſtra, cumulati, florete, inque ſanguine veſtro ad extremam mundi hujus ſenectam, perennate, ac quantum ætate, quantum diuturnitate, proceſſeritis, tantum ipſi, tantum

diva

diva veſtra progenies, laude, honore, gloria & majeſtate procedite.

Serenisſimis Principibus ac Dominis, MAXIMILIANO & GEORGIO, HASSIAE LANDGRAVIIS, Regis fratribus, heroibus inclitis ac magnis orbis germanici ſideribus, FELICITER! Univerſæ Serenisſimæ domui Hasſiacæ FELICITER! Coronent auguſtum ſingulorum, qui ex ea naſcentur, verticem S. Eliſabethæ operum charitatis & largisſimarum eleemoſynarum præmia! exundent in caput omnium poſterorum zeli integerrimi, quo pro repurgata religione flagrabat, Magnanimi Principis Philippi auctoramenta!

Florere fac quoque, o deus! univerſum in Serenisſima Regis & Principis aula procerum ordinem fulgentisſimum, fortisſimos belli duces, & quotquot habet Hasſia primores, in quorum fide, conſilio, vigilantia, ſolertia atque induſtria Principum noſtrorum curæ requieſcunt. Rege ac moderare omnia & porro ſtudia ipſorum pulcherrima, molitiones & actiones præclarisſimas, ut non ſolum fide, virtute & meritis illorum ſpectatis res Principum noſtrorum ſtent, inq; maximos auctus ſeſe diffundant; ſed etiam pro-

providenti consilio eorum adjuti, firma auctoritate suffulti, cives singuli, tranquillam & beatam vitam ducant, in omni sobrietate, honestate & pietate.

Florere fac, deus, academiam nostram, singulosque ejus proceres amplissimos, professores omnium facultatum celeberrimos, fautores & collegas meos honoratissimos. Florere denique fac generosissimos nobilissimosque academiæ nostræ cives, patriæ parentumque suorum spes, amores & delicias nostras. Largire nobis benigne, qui in hac bonæ mentis officina docendo desudamus, ut fideli cujusque nostrum opera, vigili cura indefessaque industria, non solum sublimiorum mitiorumque literarum splendor eximiumque sibi constet decus, sed & pietas christiana & morum quædam suavitas, grata deo, grata hominibus, vigeat. Largire iis, qui ad comparandum ingenii cultum nos accesserunt, aut accessuri sunt, ut omnia ipsorum cœpta, conatus omnesque adeo labores, primum ad illustrandam nominis tui gloriam directa sint & conformata; sic fiet profecto, ut ad publicam quoque aliorum salutem olim collineent provehendam, nec quemquam suorum inter nos studiorum merito pœniteat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0060
DFG

VIRO PERILLVSTRI
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
# HENRICO OTTONI CALCKHOFF
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
SVECORVM REGIS
HASSIAE LANDGRAVII
RELIQVA
A CONSILIIS SANCTIORIBVS
ET ADMINISTRO STATVS INTIMO
SVPREMI APPELLATIONVM TRIBVNALIS
PRAESIDI GRAVISSIMO
LITERARVM ET LITERATORVM
PATRONO SVMMO

*SALVTEM ET OMNIGENAM*
*FELICITATEM!*

F. g – 1603. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0061
DFG

# VIR PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME PATRONE SVMME



missurus hoc quidquid est commentationis in lucem, TVO eam, VIR EXCELLENTISSIME, nomini inscriptam emittere volui. Cui enim potius offerendæ erant studiorum meorum rationes, quam TIBI; quem Augustissimi Regis nostri, & Serenissimi Principis ejus Vicarii, providentia auspicem nobis & quasi ventorum nostrorum voluit esse moderatorem? Ac licet specimen, quod TIBI trado, navatæ a me in hac academia industriæ valde sit exiguum;

tanta

tanta tamen animi TVI est æquitas, tanta insignis humanitatis TVAE fama, ut, quid præstare homo salutis ecclesiasticæ cupidissimus velim, quidve in hac temporis tantilli angustia potuerim, placide ac benevole sis æstimaturus. In eo sum, ut, maximorum Principum nostrorum numini probatus, sementem non nisi faciam: messem ipsam, quæ a tempore & tempestatum rectore deo pendet, nondum per rei ostendere naturam possim. Recte vero a villico, agri colendi causa constituto, desideratur, ut, cum operarum suarum fructum sane a dei ter optimi benignitate supplex exspectare debeat & patiens, totius tamen scientiam teneat agricolationis, nec quidquam, per inscientiam aut negligentiam, hero suo patiatur intercidere. Quantum hujus in me sit facultatis, quantum officio meo satisfaciendi voluntatis, unice mihi quidem in

præsenti, non magis constitutum, quam concessum erat declarare. Felicem me! si TVO, VIR EXCELLENTISSIME, judicio vel id virium videbor aslecutus, vel id præ me ferre ardoris, quod ad graviſſimum munus, cujus administratio tam clementer tamque benigne mihi est demandata, rite requiritur obeundum.

Cur enim ad unius TVVM, VIR EXCELLENTISSIME, judicium dubitem referre, quod demum a suffragiis bonorum omnium mihi foret repetendum? Bonos volo, qui rectum unicuique rei pretium & statuere, per ingenii facultatem, possunt, &, quæ incorrupti judicii ipsorum est gravitas, justum statuere pretium volunt. Latent illi plerumque, ut, qui singulorum colligere velit suffragia, laborem is suscipiat, nunquam expediendum omnino. Sed, si idem omnium est sensus,

quo-

quoniam eædem omnibus judicandi sunt leges, ex candore rerumque intelligentia expressæ, unius judicium emeruisse suffragia omnium est collegisse. Tanta enimvero TVA, VIR EXCELLENTISSIME, in rebus perspiciendis, ingenii est facultas, tanta plurimo usu confirmata judicii dexteritas, quanta non potest non summo judicari esse viro, qui, sacrosancta sapientissimorum omnis ævi Principum voluntate, illis istis justus est rebus præsidere, quibus TV tanta præes cum laude, tanta cum gloria. Integritatis autem & candoris TVI documentum majus, aut illustrius, adferri nullum potest, quam quod, in tam excelsa collocatus specula, quæ tot, non hominum solum singulorum, sed integrorum etiam collegiorum, oculos in se convertit, tenetque in TE defixos, idem semper ac TVI similis es conspectus. Varia enim solet esse

mens

mens, candoris expers: quæ ſtudio integritatis atque innocentiæ trahitur, ſemper conſtare ſibi ſolet. Non poteſt hinc tanta TVA conſtantia, niſi ab excelſo proficiſci animo; quem neque gratia intempeſtiva frangit, neque odium indignum incendit, neque privatæ cupiditates ullæ corrumpunt. Erit itaque, quod mihi gaudeam, impenſiusque quod mihi lætter, erit, ſi TVO probabor judicio. In TVO namque judicio bonorum omnium ſuffragia concurrere, amiciſſimeque conſpirare, putabo: nec vereor, ut mei me pœniteat judicii.

TV vero, VIR EXCELLENTISSIME, fruere ſingulari illa TVA ingenii vi & facultate, & incomparabilis naturæ TVAE bonitate, & moribus ſinceriſſimis; nam, cum ceteræ omnes graves TIBI evaſuræ ſunt vitæ iſtius ſuavitates, una hæc voluptas, quam ex TE

ipſo

ipso & consuetudine TVA capies vivendi, in dies TIBI & recordatione gratior erit, & continuato fructu desiderabilior. Fruere pulcherrimarum, quibus distineris, curarum usu, & fortiter superatorum præstantissimorum laborum conscientia; nulla enim ad immortalitatem, in civitate, in qua vir sapiens & alta quadam mente præditus agit, via est expeditior comparandam, quam bene mereri de naturalibus societatis civilis Principibus, & publica salute populorum. Bene vivat, qui bene latet, sapiens: cum dignitate vivere, & apud seram immortaliter bene audire posteritatem, illis tantum ex sapientibus est datum, quorum excellens virtus in republica administranda spectata est. Fruere vero etiam, VIR EXCELLENTISSIME, pura coram deo atque illibata conscientia; satis quippe, pro TVA perspicientia & christiana pietate, per-


suasus

suasus, unam illam & solam alterius vitæ gloriam, quæ depositis corporis istius incipiet exuviis, neque, ubi semel inceperit, desinet unquam, veri nominis dicendam esse immortalitatem. Deus TE servet quam diutissime, resque omnes TVAS, publice & privatim, TIBI fortunet: ego, pro salute & incolumitate TVA perpetua, integerrima vota nuncupare, nunquam defetiscar. Scrib. Rintelii die V. Januarii cIↃ IↃ cc L.

PERILLVSTRI
ATQVE EXCELLENTISSIMO
NOMINI TVO

DEDITISSIMVS
GODOFR. SCHWARZ

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0068
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0072
DFG

vlla eos ſcelerum ſubeat po nullius culpae ſibi
conſcios; vt et voluptate per peccando, perſua-
ſi, id ſe egiſſe, quod bonos : voluptatis prae-
mio grauius in dies peccare Errore deceptus
Saulus iuſtas poenas luere rrem Stephanum,
laetatur in ſinum: atque ec flagitatum abit li-
teras, quibus munitus plures ephani, in vincula
coniiciat, et ad ſupplicia tral a (*). Damnans
deinde atque deteſtans error verſabatur, igno-
rantiam ſuam accuſat (** odo ignorantiam
potius, quam ſacrae opinion ? Recte habet v-
trumque. Peccare ſe in gra inae veritatis te-
ſtes, ignorabat: credens, ſe acerbitate ſua fa-
cere gratiſſimum, errabat. ntum eſt, vt mo-
res hominum corrigantur e que in melius, vi-
tiorum deminuatur lolium, atum ſeges efflo-
reſcat, diſpellere ignorantiae errorum nubes et
nebulas disiicere, veritatis erſo humano ge-
neri circumferre.

Sed de his nulla eſt diſcep quaeritur, quomo-
do, ſi qui vel maxime bonoru que non ignorent
diſcrimen, bonum ſine vllo rore et commen-
dent, reprobent ac deteſtent cientes tamen vo-
lentesque bona, in praxi vit mala amplexen-
tur? In duas hic, cum alias, in primis memo-
ria, doctores iuxta ac cenſo abiiſſe deprehen-
dimus ſententias. Alii diſtin ae cognitionis ar-
guebant defectum, quo ho iſcernendis bonis
et malis, iisque veris et ap , id eſt, ſenſuum
tantummodo iudicio et rati ine talibus, pleri-
que omnes laborent. Capu i in emendatione
intel-

(*) Act. VIII, 1. et IX, 1. 2 Tim. I, 13.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025390458/phys_0073
DFG